Gust. Nordmeye[r]

Diss. Bonn

1892.

DE OCTAVIAE FABVLA

DISSERTATIO PHILOLOGA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA
GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI

TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVIII MENSIS MARTII ANNI MDCCCXCII HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

GVSTAVVS NORDMEYER
GVESTPHALVS

ADVERSARII ERVNT

SIGFRIDVS SVDHAVS Dr. PHIL. DES.
RICARDVS HEIM Dr. PHIL. DES.
CAROLVS LOHMEYER CAND. PHIL.

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEVBNERI
MDCCCXCII

PARENTIBVS OPTIMIS

ANTE QVINQVE LVSTRA MATRIMONIO CONIVNCTIS

PIETATIS ERGO

MOERSAE A. D. IV. ID. MAI.

Caput I.

De rerum scriptoribus, qui Octaviae vitam narrant.

Valde dolemus plane periisse iniquitate temporum eorum historicorum libros, qui, ut erant aequales, genuinum quasi et verum aevi Claudiani et Neronei fontem nobis praebituri erant. Quorum in numero Cluvius Rufus, Plinius, Fabius Rusticus sunt, cuius in fundamento triumviratus Taciti historia aedificata est. In fragmentis historicorum illorum non commemoratur sors Octaviae.[1]) Primus Iosephus B. I. 12, 8 et 13, 1 et A. I. XX 8, 1. 2 (= XX 148—157 Niese) tristis fati Octaviae mentionem facit. Sequitur Tacitus, qui ex omnibus rerum scriptoribus historiam Octaviae amplissime et accuratissime narrat ann. XIV 59—64. Suetonius paucis verbis de ea re agit Ner. 35. Dionis Cassii de Octaviae exitu narratio integra servata non est, quod autem maximam partem restitui potest, excerptis et epitomis e Dione factis debemus. Quoniam excerpta Peiresciana praeter unum locum p. 689 Valesii Ὅτι ὁ Τιγελλῖνος eqs., qui respondet Xiphilini de eadem re verbis, nihil praebent, fundamentum copiosa Dionis epitome Ioannis Xiphilini manu exarata (LXII 13) debet esse. Accedunt Ioannis Zonarae (XI 12 tom. III p. 39 Dindorf.) et Ioannis Antiocheni narrationes e Dione promptae (in excerptis Constantinianis περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας = Muelleri Frgm. hist. Graec. tom. IV frgm. 90). Etiam excerpta tituli περὶ γνωμῶν haud paucas reliquias servaverunt. Quibus de excerptis, quoniam quae de eorum origine invenisse mihi videor, a Georgio Sotiriadi discrepant, qui in dissertatione 'zur Kritik des Johannes von Antiochien' in Fleckeiseni annalium supplemento XVI (1888) inde a p. 29 excerptis gnomicis operam dedit[2]), pauca adnotare mihi

---

1) Historiam Octaviae in primis secundum Tacitum narraverunt Adolphus Stahr in 'Bilder aus d. Altertum, IV Agrippina' p. 225 sq. et Carolus Meiser 'ueber histor. Dramen der Roemer' Festrede der Muenchener Akad. d. W. 1887 p. 7 sq. Uterque nostram quoque fabulam exposuit. Fabulae Romanensis forma Octaviae vitam et mortem Tacitum secutus enarravit Antonius Udalricus dux Brunsvigensis in 'die roemische Octavia'; v. in primis tom. II (Norimbergae a. 1711 ed.) p. 60 sq. Quinquaginta fere annis ante Casparus de Lohenstein Octaviae sortem tragoediae Agrippinae inseruerat.

2) Ante eum Boissevainius in progr. Gymn. Erasmiani Rotterdamiani 1884 inde a p. 21 exc. gnom. denuo collato codice rescripto Vaticano tractavit.

liceat. Sotiriadis neglectis et in Salmasianis et in gnomicis excerptis inquirendis cum aliis tum Georgio Monacho rationem inter scriptores illos Byzantinos intercedentem recte cognoscere omnino non potuit. Unum fere Leonem Grammaticum, qui centum quinquaginta annis post Monachum scripsit, adhibuit.[1]) — Quae de rebus ab imperatoribus Romanis gestis excerpta Salmasiana, Georgius Monachus, Leo Grammaticus, Cedrenus, Michael Glycas, Constantinus Manasses narrant, ea omnia ad unam historiam nobis ereptam invidia saeculorum redire apparebit, si easdem fere historiolas ab omnibus iisdem fere verbis narrari perpenderimus. Talis autem delectio nisi ab uno homine profecta esse nequit.[2]) Anonymum illum auctorem Y littera significabo. Omitto, quae sit ratio inter singula eius ordinis membra. Hoc dico excerpta Salmasiana propiora ab anonymo esse ceteris. Sotiriadis p. 35 ad eum anonymum excerpta quoque de sententiis redire putavit. Non nego affinitate cohaerere excerpta περὶ γνωμῶν cum excerptis Salmasianis, Monacho, ceteris, id quod similitudinibus post tractandis demonstratur. Sed maior est diversitas. Fontem excerptorum gnomicorum multo uberiorem fuisse quam Y per se intellegitur. Non modo tot narrationes excerpta gnomica continent, quas in ceteris frustrà quaeres, sed etiam in iis narrationibus, quae in utroque ordine leguntur, excerpta de sententiis copia adeo ceteros scriptores superant, ut forma narrationis, qualis exstat in excerptis Salmasianis vel apud Monachum, explicari possit e forma, quam in gnomicis excerptis legimus, ratione inversa explicari non possint similitudines. Comparetur, ut unum pro multis afferam exemplum, exc. Salm. frgm. 83 Muelleri, quod apud ceteros praeter Glycam p. 436, 9 sq. eiusque asseclam Manassem v. 1997 non invenies, cum exc. π. γνωμῶν in editione Dionis Dindorfiana tom. V p. 186, 32—187, 6. Accedit aliud, quod impedit, quominus ad unum auctorem excerpta περὶ γνωμῶν et excerpta Salmasiana, Monachum, Leonem redire putemus. Excerpta gnomica ex ipsius Dionis epitomatore fluxerunt.[3]) De lacunis, quae Dionis textum foedant, excerptorum gnomicorum ope explendis v. Boissevainium l. l. p. 24. Exemplar

---

1) Leonis historiam, quatenus in cod. Paris. 854 (ed. Cramer Anecd. Paris. tom. II p. 243 sq.) sub titulo Ἐκλογαὶ ἱστοριῶν exstat, sumptam esse e Cedreno Boissevain Herm. XXII p. 171 adn. 1 Cramerum secutus contenderat, quod falsum esse Buettner-Wobst in stud. Byzant. I (Progr. gymn. Dresdens. s. crucis 1890) vidit. Nam Leonem ante Cedrenum scripsisse demonstravit. Praeterea nonnulla eius historiae non cum Cedreno, sed cum Monacho conspirant.

2) Composuit locos excerptis Salm., Cedreno, Manassi communes Boissevain Herm. XXII p. 170 sq., locos Georgio Monacho, Leoni, Cedreno communes Buettner-Wobst l. l. p. IV—VIII adhibitis hic et illic exc. Salm.

3) Recte Sotiriadis p. 29: ‘die Exc. π. γν. weisen durch die Fuelle der auf Dio zurueckgehenden Berichte . . . . deutlich darauf hin, dass ihr Verf. ausschliesslich die Kaisergeschichte bis zum Zeitpunkt, wo Dio schliesst, nach diesem Gewaehrsmann behandelt hat’ eqs.

Dionis, quo usus est auctor excerptorum gnomicorum, simillimum fuisse exemplaribus Xiphilini et Zonarae inde concludi potest, quod de Antonino historiae illae tantum narrantur, quas solas servatas esse in Dionis codicibus Xiphilinus initio libri LXX testatur.[1]) — Item iudicandum esse de excerpto περὶ γνωμῶν p. 193, 13—18 Ὅτι εἰσιόντος Νέρωνος εἰς τὴν Ῥώμην τοὺς τῆς Ἀγριππίνης ἀνδριάντας καθεῖλον (Codex καθεῖλεν, ut mecum communicavit Boissevainius) eqs. demonstrabo, quoniam id ipsum excerptum magno momento esse ad fidem historicam Octaviae praetextatae iudicandam infra p. 22 videbimus. Agitur de rebus post Agrippinae mortem Romae gestis. Nero furiis agitatus Campania percursa Romam rediit. Tradit Xiphilinus sic LXI 16, 1 Νέρωνα δὲ μετὰ τὸν τῆς μητρὸς φόνον ἐσιόντα ἐς τὴν Ῥώμην δημοσίᾳ μὲν ἐθεράπευον, ἰδίᾳ δέ, ἐν ᾧ γε καὶ παρρησιάσασθαί τινες ἀσφαλῶς ἐδύναντο, καὶ μάλα αὐτὸν ἐσπάραττον. Secuntur tria audaciae exempla, quorum tertium etiam excerpto gnomico insequenti legitur Ὅτι περιεφέρετο καὶ ἰαμβεῖον eqs. Eadem igitur verba apud utrumque auctorem eandem rem incipiunt. Xiphilinus in Dione excerpendo omisit id, quod unus auctor excerptorum de sententiis servavit. — Contra ii auctores, quos ex Y sua sumpsisse vidimus, haud pauca continent, quae a Dione aliena sunt, ut magna pars excerpti Salmasiani frgm. 78. Paragraphus septima, quam etiam apud Leonem p. 276, 27, Cedrenum p. 303, 11 sq., Glycam p. 382, 17 sq., Manassem v. 1897 sq. invenimus, in Planudeis quoque excerptis legitur, quam partem Sotiriadis p. 9 (cf. p. 52) Dioneam esse contendit; ego valde dubito. — Accedit tertium, quo firmissime corroboratur dictum nostrum, quod primus Boissevain Herm. XXII p. 167 adn. 4 vidit. In gnomicis excerptis multa inveniuntur ad res liberae reipublicae Romanae pertinentia, quamquam post pugnae Cannensis descriptionem ingens ille hiatus codicis est. Apud neminem eorum scriptorum, qui ex Y hauserunt, quidquam eius generis invenitur. Vide, quaeso, quo modo paene ridiculo Glycas p. 379 et Manasses v. 1751, Leo p. 274 aetatem illam praetereant. Unius esse viri eam materiae traditae omissionem patet.

Postquam haec omnia disputavimus, contendere cogimur Y ex altero anonymo — X — sua sumpsisse. Haec autem dempsit, illa addidit, ut brevis sim, ex historia copiosissima, quae Xiphilineae similis fuit, breviarium exile reddidit.

Imaginem quandam anonymi prioris excerpta, quae sub titulo περὶ γνωμῶν circumferuntur, praebent. Comparatis iis locis, quibus utriusque ordinis membra ornata sunt, statim rectam esse sententiam nostram tibi persuadebis. Tres locos omnibus communes inveni, consideremus autem carbonem illum Vaticanum excerpta de sententiis continentem lacunis gravissimis ubique fere foedatum esse. Sunt autem hi loci:

---

1) Vide Maium in Dionis ed. Dindorf. tom. V p. 205.

I. Exc. π. γν. Dio Dind. V p. 186, 32—187, 6 = Salm. exc. frgm. 83 = Glyc. p. 436, 9 sq. = Man. 1997 sq. Georgius Monachus eiusque asseclae omiserunt hanc narrationem, quae ad Dionem LIX 22, 3 redit.

II. Exc. π. γν. p. 199, 8 sq. = exc. Salm. frgm. 96 = Georg. Mon. p. 284, 3 Muralto, p. 450 Migne = Leo Gr. p. 281 Cr. 13—17 = Cedr. p. 379, 21 sq. = Glyc. p. 444, 11 sq. = Man. v. 2047 sq. Redit ad Dionem Xiphilini LXV 1, 4 et Zonarae tom. III Dind. p. 47, 9—13.

III. Exc. π. γν. p. 203, 26 sq. = Salm. frgm. 114 = G. M. p. 341 Mur., p. 528 Migne = L. Gr. p. 284 = Cedren. p. 438, 4 sq. Invenitur haec narratio in Dione Xiphilini LXIX 19, 1, Zonarae tom. III p. 76.

Quorum locorum, ne tot paginas comparationibus repleam, tertium solum accuratius tractabo.

Omitto Xiphilini et Zonarae textum, quia omnium in manibus est.

Exc. π. γν. 203, 26 sq.: Ὅτι Σίμιλίν τινα τῶν δορυφόρων ἄρχοντα, φρονήσει δὲ καὶ ἐπιεικείᾳ σεμνυνόμενον, πάνυ Ἀδριανὸς ἐτίμα· καὶ ἔτι ἑκατόνταρχον ὄντα εἰσκαλέσας διελέγετο τῶν ἐπάρχων ἔξω ἑστώτων· ὁ δὲ ἔφη ‛αἰσχρόν ἐστι, Καῖσαρ, ἑκατοντάρχῳ σε διαλέγεσθαι τῶν ἐπάρχων ἔξω ἑστώτων’.

Ὅτι ὁ αὐτὸς Σίμιλις, ἐπειδὴ βίᾳ τὴν ἀρχὴν τῶν δορυφόρων παρέλαβεν, ἐξέστη τῆς ἀρχῆς καὶ ἐν ἀγρῷ ἔτη ἑπτὰ διῆγεν· καὶ τελευτήσαντος ἐν τῷ μνημείῳ αὐτοῦ ἐπέγραψεν ὅτι Σίμιλις ἐνταῦθα κατάκειται βιοὺς μὲν ἔτη πεντήκοντα, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά.

Exc. Salmas. frgm. 114 (Cramer anecd. Paris. II p. 396, 18 sq.): Ἀδριανὸς Σίμιλίν τινα ἄνδρα φρονήσει καὶ ἐπιεικείᾳ κεκοσμημένον ἠνάγκασε τὴν ἀρχὴν τῶν δορυφόρων παραλαβεῖν, καὶ μόλις μέν, ἔπεισε δ᾽ οὖν. Ὀλίγον δὲ ἐπισχὼν καὶ δεηθεὶς ἐξέστη τῆς ἀρχῆς καὶ ἐν ἀγρῷ ἔτη ζ̄ διαγαγὼν τελευτᾷ ἐπιγραφῆναι προστάξας ἐν τῷ μνημείῳ αὐτοῦ· Σίμιλις ἐνταῦθα κεῖται βιοὺς μὲν ἔτη ν̄, ζήσας δὲ ἔτη ζ̄.


Georg. Mon. p. 528 Migne, p. 341 Mur., cui conspirant ad verbum fere Leo et Cedrenus: οὗτος Ἀδριανὸς εἶχεν ἄνδρα τινὰ ὀνόματι Σίμιλιν ἔν τε φρονήσει καὶ ἐπιεικείᾳ καὶ ἀρεταῖς πολλαῖς κεκοσμημένον καὶ πάνυ αὐτὸν ἐτίμα καὶ ἐν μεγάλῃ ἀρχῇ κατέστησεν· ἀλλ᾽ ἐπ᾽ ὀλίγον τῆς ἀρχῆς κρατήσας δεηθεὶς ἐξέστη αὐτῆς καὶ ἐν ἀγρῷ ἑπτὰ ἔτη διατρίψας ἐτελεύτησεν ἐπιγραφὴν προστάξας ἐν τῷ μνήματι αὐτοῦ περιέχουσαν οὕτως· Σίμιλις ἐνταῦθα κατάκειται βιώσας μὲν ἔτη πολλά, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά.

Manavit ea narratio e Dione ita tamen, ut Simili et Turbone apud Dionem coniunctis anonymus X alteram partem solam omissa priore, quae de Turbone erat, decerperet. Excerpta περὶ γνωμῶν, Salmasiana, Monachum ab una eademque Dionis redactione, ut ita dicam, pendere, ex verbis elucet, quibus iisdem omnes historiam exordiuntur, quae ex Dionis verbis LXIX 18, 1 γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι

τότε ἄριστοι ἄνδρες, ὧν ἐπιφανέστατοι Τούρβων τε καὶ Σίμιλις ἤστην, οἳ καὶ ἀνδριᾶσιν ἐτιμήθησαν et ex initio narrationis de Simili sumpta videntur esse.

Ipsa exordii verba, quae sit ratio inter singulos scriptores, demonstrant. Georgius Monachus, Cedrenus, Leo ab iisdem verbis incipiunt, id quod ceteris quoque rebus conlatis demonstrat ad unum fontem redire illos. Cf. Buettner-Wobst l. l. p. XIII et Hirschii studia Byzantina p. 95 et 376. In ipsa re enarranda concordant inter se exc. Salm., Monachus, Leo, Cedrenus. Proximum Dioneae formae mansit excerptum gnomicum. Y anonymus priorem partem praetermisit ita tamen, ut verba, quae priorem partem inchoant, coniungeret cum alteris. Comparata autem narratione, quam in excerptis Salmasianis, et ea, quam apud Monachum legimus, statim tenuiorem esse formam Hamartoli animadvertimus. Hic vel is, ex quo hausit, omissis verbis καὶ μόλις μὲν, ἔπεισε δ᾽ οὖν omne, quod inest in epitaphio Similis, sal paene aufert.

Hoc satis comprobasse mihi videor non esse unum anonymum, ex quo tota illa rudis indigestaque moles explicari possit, immo duos, fortasse tres fontes statuendos esse coniectura. Hoc esse puto stemma totius familiae illius:



Sotiriadem ratione inter scriptores illos non recte cognita errasse etiam in definienda aetate anonymi apparet. Eundem esse X anonymum et Dionis continuatorem veri simile est. Cf. Boissevain Progr. gymn. Erasm. p. 21. Aetas anonymi Y ea re constituitur, quod Georgius Monachus, qui Michaele III regnante (842—867) scripsit, ex Y pendet. Confecisse videtur Georgius libros suos anno 866 vel 867. Cf. Hirsch, byz. Stud. p. 5 et 6. Sotiriadis autem anonymum non ante alterum noni saeculi dimidium vixisse existimabat. Tum autem iam Georgius scripsit. Quare auctorem, quem Z littera in tabula significavi, ante annum 850, ut numerum plenum edam, floruit. Ad

1) Glycas dubitari potest utrum ex Y an ex Z anonymo sua sumpserit.

explicandam autem rationem, quae inter Z et Y intercedit, quinquaginta minimum annos computandos esse puto. Terminus, post quem anonymus ille vixit, inde efficitur, quod excerpta Salmasiana Procopio et Malala[1]) utuntur, id quod post Muellerum exposuit et demonstravit Sotiriadis compluribus locis. Quominus accurate tempus X anonymi definiamus, impedit condicio misera palimpsesti, nam quo usque anonymus Dionis historiam continuaverit, nescimus. Id autem certum videtur esse post annum 750 non floruisse anonymum, nam tali, qualem hic videmus, progressui centum minimum annos attribuendos esse nemo negabit. Quodsi Sotiriadis inde a p. 38 observationibus de sermone et re grammatica anonymi sui prolatis comprobare studuit recte se tempus eius statuisse, observationes aut falsas aut non recte aestimatas esse apparet ex eis, quae disputavimus. Me rerum grammaticarum infimae graecitatis ususque vocabulorum Byzantini ignarum istam Sotiriadis viam sequi non posse libere confiteor.

Haec igitur sunt, ut tandem, unde egressi sumus, eo revertamur, membra Dioneae de Octavia narrationis disiecta:

I. Xiph. LXII 13; II. Zon. tom. III p. 39; III. Excerptum Peirescianum p. 689 Val. Ὅτι ὁ Τιγελλῖνος eqs. a Dindorfio Dionis LXII 13 additum; IV. Ioannes Antioch. frgm. 90; V. Exc. περὶ γνωμῶν p. 193 et 194:

Ὅτι ποτὲ λέγοντος τοῦ Νέρωνος eqs.,
Ὅτι περὶ τοῦ αὐτοῦ Βοῦρρος eqs.,
Ὅτι ἡ Πυθιὰς eqs.

Restat, ut pauca dicamus de discrepantiis Dionis ac Taciti, de qua re vide Schilleri Neronem p. 168 adn. 1. Conspirant plerisque in rebus Tacitus et Suetonius, nisi quod hic servavit Neronis dictum 'sufficere Octaviae debere uxoria ornamenta' et Neronem strangulare uxorem meditantem facit (cap. 35); graviora sunt, quae in Dionis narratione a Tacito discrepant. Desideramus, ut leviora praetermittam, tumultus mentionem. Num Zonarae verba . . ἡ Σαβῖνα . . κατηγόρους ἐπ' αὐτῇ [Ὀκταουίᾳ] καὶ μοιχείας καὶ γοητείας ψευδοῦς παρεσκευάσατο idem significent atque Taciti 'abactus partus conscientia libidinum', mihi quidem valde dubium est, etsi Schiller idem valere affirmat. Eodem vocabulo utitur Dio Xiphilini LXI 11, 3 ὥσπερ γὰρ οὐχ ἱκανὸν ὂν ἐς μυθολογίαν, ὅτι τὸν θεῖον τὸν Κλαύδιον [ἡ Ἀγριππίνη] εἰς ἔρωτα αὑτῆς ταῖς τε γοητείαις καὶ ταῖς ἀκολασίαις καὶ τῶν βλεμμάτων καὶ τῶν φιλημάτων ὑπηγάγετο eqs., ubi Ioannes Antiochenus fragm. 90 M. pro γοητείαις posuit φαρμακείαις. Certum videtur hoc loco φίλτρα significari; philtra Zonarae quoque illo loco dici simillimum veri mihi videtur esse. — Inferioris aetatis historici plane abiciendi sunt nobis, quoniam plerumque ne nomen quidem

1) De Malalae aetate v. Gelzerum in Berl. philolog. Wochenschr. 1892 Nr. 5 p. 142 adversus Sotiriadem disputantem.

Octaviae norunt, quorum in numero Aurelius Victor, Eutropius et qui ex eo exscripserunt, sunt. Restant igitur ad iudicandam historiam Octaviae Tacitus, Suetonius, Dio, e quibus Tacitus et Dio soli fontes poetae esse possunt, nam Suetonius nisi summatim Octaviae res non narrat. Quaerendum autem est non modo de iis, quae ad Octaviam, sed etiam de iis, quae ad ceteras personas fabulae pertinent. Inprimis vero Tacitus respiciendus est, quod et antiquissimus omnium et eius narratio copiosior est ceteris.

Caput II.

De ratione inter fabulam et Tacitum intercedente.

Universam tragoediam e Tacito pendere Guilelmus Braun in libro, qui inscribitur 'die Tragoedie Octavia und die Zeit ihrer Entstehung' (Kiel 1863), contendit. Cuius coniectura scriptam esse tragoediam medio, quod vocatur, aevo cum aliis rebus refutatur, tum hac, quod recensionem deteriorem tragoediarum Annaeanarum, qua Octavia continetur, iam quarto quintove saeculo exstitisse demonstratum est. Nam quamquam cetera testimonia, quae viri docti invenisse sibi videbantur, — de quibus conferas Ladekium[1]) p. 10 sq., qui plerumque recte de illis iudicavit — nihil valent, habemus tamen testimonium firmissimum Lactantii Placidi, qui Statium commentatus Thebaidis versui IV 530 hoc scholium apposuit: 'quia Minos se non ut regem aut tyrannum, sed tamquam unum de plebe gessit, quae laus summa est. ut Seneca in Thyeste:

[342] ne sic horotis [*nescitis* Seneca] cupidi arcium
regnum quo vocat loco
regem non faciunt opes

1) Cum iam paene ad finem perductus esset a me libellus de tempore Octaviae fabulae, venit in manus meas tertium dissertationum Vindobonensium volumen a. 1891 editum Friderici Ladek dissertationem 'de Octavia praetexta' copiosissimam et doctissimam continens, cuius disputationis inprimis p. 1—49 ad Octaviae tempus spectant. Gratum igitur mihi erat officium, philologus ille Vindobonensis quae eximia cum sagacitate et diligentia exposuerat, conferre cum iis, quae ego eodem fere tempore in schedis philologis Hermanno Usener a sodalibus seminarii philologi Bonnensis oblatis et quae postea conscripseram, et magno cum gaudio vidi in disputationis summa conscriptam esse fabulam ante Tacitum plane me consentire cum illo, libenter quoque confiteor, nonnullis locis dissertationem correxisse et amplificasse argumenta mea. Quoniam autem disputatio mea nisi capite altero non tractat eandem materiam, quam Ladek sibi sumpsit, supervacaneum non putavi esse ea quoque, quae ego inveneram, publici iuris facere. Neque caput alterum retinendum esse existimavi, quia et in haud ita paucis locis dissentio a Ladekio et quia adhibui argumenta nonnulla ab illo non allata. Accedit, quod omisso capite altero, tota disputatio fundamento quasi carere videtur.

non vestes Tyriae color
non frontis nota regia
[347] non auro nitidae trabes [*sic*]
regem regem qui posuit metus
et diri mala pectoris
quem non ambitio impotens
et nunquam stabilis favor
vulgi praecipitis movet.'[1])

Lactantius igitur, quem circa annum quadringentesimum vixisse veri simile est, Aldinae recensionis lectionem secutus versu 347 'trabes' habet; unus codex Etruscus 'fores' tradidit.

Ac primum quidem non fuisse fontem Octaviae Tacitum demonstrabimus repetitis breviter ac denuo excussis argumentis et iis, quae Ladek attulit, et iis, quae ego adhibueram.

Initium faciam ab iis, quae apud Tacitum leguntur, in Octavia omittuntur. Tacitus capite 60 libri XIV annalium enarrat crimina sterilitatis et servilis cum Eucaero tibicine amoris. In fine capitis quaestiones de ancillis actas esse, Octaviam in Campaniam relegatam populo Romano tumultuante revocatam esse narratur. Nihil fabulae ad caput illud Taciteum spectat. Relegationem in Campaniam plane esse neglectam a poeta recte Braun p. 53 adversus Vaterum (miscell. crit. fasc. V in Iahni annalibus 1853 supplem. 19 p. 609) contendit. Neque crimina sterilitatis commemorantur, nisi cum Braunio p. 53 fortasse recte versum 285 sq.[2])

---

1) Totum locum, etsi nihil praebet, quod textum ipsum Thyestis emendet, tamen dedi, nam nusquam quidquam accuratius de illo inveniri poterat, v. Leo, observ. crit. ad Sen. trag. addend. ad p. 1 adn. 2. Usus sum collatione codicis antiquissimi Puteani a Kohlmanno facta cum exemplari editionis Tiliobroganae Parisiis anno 1600 editae, quod exemplar una cum ceteris collationibus et schedis Kohlmanni nunc in bibliotheca regia Bonnensi servatur.

Ceterum de historia studiorum navatorum fabulae conferas, quae Ladek p. 4 sq. composuit. Adicienda sunt, quae nuper Carolus Weyman in dissertatione 'Seneca und Prudentius' in commentationibus Woelfflinianis 1891 p. 238 adn. 8 de Octavia attulit. Sed nihil fere novi inde discimus. Non nego rationes quasdam interesse inter Senecam et Prudentium, tamen in indagandis similitudinibus ille nimis sedulus in idem vitium incidit, in quod Peiper in editione Boethii et in dissertatione musei Rhenani tom. XXXII p. 532 sq. et Barwinski 'quaestt. ad Dracontium' I diss. Gotting. 1887 inciderunt. Nulla enim certa imitatio Octaviae apud poetas saeculi tertii quarti quinti demonstrari potest. Quis, ut unum Weymani exemplum afferam, credet Prudentii hymnum matutinum Cath. II 36 sq. imitationem esse cantici matutini, quod Herculi Furenti (v. 139 sq.) inseruit Seneca?

2) Laus pudoris, vitae caste peractae usitatissima est poetis Romanis. Exempla poetae dare poterant Sen. Agam. 278 'iam crimen ille quaerit et causas parat. | Nil esse crede turpe commissum tibi: | quid honesta prodest vita, flagitio vacans?' Cons. ad Liviam 41 'Quid tibi nunc mores prosunt et puriter actum [actumque pudice Cod.] | omne

> ... 'sancta quid illi
> prodest pietas divusque pater,
> quid virginitas castusque pudor?'

(cf. v. 547 et 587) et cum Ladekio p. 21 et 81 versum 105 sq.

> [Oct.:] ... 'luce non grata fruor
> trepidante semper corde non mortis metu
> sed sceleris — absit crimen a fatis meis,
> mori iuvabit'

ad crimina illa spectare putamus, quamquam nimis incerta haec omnia sunt. Taciteam originem certe nemo agnoscere potest.

Alterius capitis initio congruit tragoedia. Ab utroque scriptore tumultus mentio fit post discidium Neronis ab Octavia Romae orti. Sed quanta simul diversitas. Secundum Tacitum Nero uxorem populo obsecutus revocavit. 'Exim laeti Capitolium scandunt, deosque tandem venerantur, effigies Poppaeae proruunt, Octaviae imagines gestant umeris, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt.' Verba, quae secuntur, Carolus Halm collato Tac. ann. XII 37 sic restituit: 'itur etiam in principis ⟨aedes⟩ laudes repetitum venerantium'. Tandem milites multitudinem, quae Palatium clamoribus complebat, disiecerunt. In Octavia autem tumultus inde nascitur, quod multitudo irata de discidio (v. 786) 'reddere penates Claudiae Divi parant' (v. 789. cf. v. 891 sq.) et Poppaeam 'toris detrahere altis' (v. 688) conantur, cuius imagines affligunt et laqueis per caenum trahunt[1]), quin etiam ipsam Neronis domum vel flammis aggredi audent (v. 689. 801. 808. 822. 851). Tandem cohortes praetoriae gladiis strictis multitudinem dispellunt. Toto igitur caelo inter se distant, quae a poeta et quae a Tacito de hoc tumultu traduntur. Quaerentes autem, utrius narratio maiorem veri similitudinis speciem praebeat, sine dubio Octaviae traditionem iudicabimus. Neque enim bene tumultui Taciteo respondet, quod milites populum laetantem et principem laudibus efferentem gladiis strictis disiciunt. Conferas de ea differentia Ladekium p. 36 sq. Apud Tacitum deinde Poppaeam metu exagitatam ad genua Neronis provolutam obsecrasse principem, ut ipsam servaret, legimus. Braun p. 43 oratione usum esse putat poetam. Sed quis per totam tragoediam orationem illam dispersam esse credet? Assentior una cum Ladekio p. 23 Ritteri[2]) verbis praef. p. IX: 'num imitator orationem illam gravissimam' — quae in versus mutata monodiam re vera tragico poeta dignam praebuisset — 'transmissurus et in rem suam haud

---

aevum et tanto tam placuisse viro? | Quidque, pudicitia tantum involvisse bonorum [*sequor Baehrensium*] | ultima sit laudes inter ut illa tuas?' — Prop. III 18, 11 'Quid genus aut virtus aut optima profuit illi | mater et amplexum Caesaris esse focos?'

1) Cf. Iuvenal. X 58 de Seiani memoriae abolitione: 'descendunt statuae restemque sequuntur' eqs.

2) Oct. praet. Curiatio Materno vindicatam ed. Fr. R. 1843.

conversurus fuisset?' Sequitur caput 62 et initium capitis 63. Anicetus corruptus dolo se stuprasse Octaviam fatetur, quae et eius criminis et conscientia libidinum abacti partus culpata in Pandatariam insulam expellitur. In praetextata nihil nisi exilium legimus. Vides igitur e tribus illis capitibus unum de tumultu locum apud poetam et historicum inveniri.[1] Fieri poterat, ut singulas res poeta praetermitteret, quod autem omnes silentio praetermisit — nam causam, qua commotus poeta omiserit, invenire non possum — non fuisse fabulae fontem Tacitum demonstrat.

Accedunt ad corroborandam hanc sententiam diversitates quae inter Tacitum et poetam sunt, quibus narratio de Romae incendio adnumeranda est, cuius auctorem esse Neronem dilucidis verbis exprimit poeta versibus 831 sq.

'mox tecta flammis concidant urbis meis,
ignes, ruinae noxium populum premant.'

Contra Tacitus et unus Tacitus ann. XIV 38 'forte' inquit 'an dolo principis incertum'. Praeterea Ladek p. 37 hoc recte monuit, in Octavia Neronem propter favorem populi erga Octaviam urbem delendam esse constituere, apud historicos alias afferri causas luxuriam et magnificentiam. Non ita magni momenti esse id argumentum concedo, quia ea incendii traditio, quam in Octavia legimus, volgaris erat. Tamen propterea alicuius ponderis Octaviae versus sunt, quod una cum iis, quae Plinius maior narrat, antiquissimum testimonium culpae Neronis videntur esse, nam Statii genethliacon Lucani ad Pollam silv. II 7, 60 'dices culminibus Remi vagantis | infandos domini nocentis ignes' post annum 92 editum est.

Maioris momenti sunt, quae de Neronis amore Poppaeae traduntur. Tacitus ann. XIII 45 et 46 Poppaeam uxorem Crispini ab Othone pellectam et in matrimonium ductam esse narrat; laudasse Othonem Sabinae eximiam pulchritudinem, Neronem amore illius inflammatum Othonem Roma demovisse, Sabinam uxorem duxisse. Apparet igitur Neronem tum demum vidisse Sabinam, cum uxor legitima Othonis facta erat. Sed invenitur apud eundem Tacitum altera narrationis forma hist. I 13, cui conspirant Plutarchus Galb. XIX 2, 4, Suetonius Oth. 3, Dio LXI 11, 2 (cf. Io. Antioch. frgm. 90), secundum quam adamavit Nero Sabinam iam, cum uxor erat Crispini. Othoni Sabina traditur Crispino erepta. Ille autem in eadem Poppaea suspectus in Lusitaniam seponitur, Poppaea Agrippina occisa, Octavia relegata uxor legitima principis fit. Perlegas somnium Poppaeae v. 728 sq. ad similitudinem rerum factarum a poeta fictum:

'venientem intuor
comitante turba coniugem quondam meum
natumque; properat petere complexus meos

1) De capitibus sequentibus postea disputabitur.

> Crispinus, intermissa libare oscula:
> irrupit intra tecta cum trepidus mea
> 733 ensemque iugulo condidit saevum Nero.'

Num putas poetam secutum esse ea, quae in annalibus traduntur? Immo quoniam plane omittitur Otho, alterius id est volgaris narrationis vestigia quamvis obscura cognosci tamen possunt. Expressisse poetam hoc uno loco historias Taciteas ac non annales minime veri simile est. Sequitur res multo difficilior diiudicatu. Dico versus 'irrupit intra tecta' eqs. Cuius in iugulo Nero ferrum condidit? Crispini an suo ipsius? Nam omitto Sieversii[1]) opinionem, qui de morte Crispini minoris (Suet. Ner. 35) cogitabat. Baden editor tragoediarum Annaeanarum ad h. l., Vater p. 598, Braun p. 40 Neronis mortem depingi putabant iam ab Agrippina v. 629 sq. accurate descriptam. Collatis Suetonii[2]) verbis Ner. 49: [Nero] 'trepidanter effatus ἵππων eqs. ferrum iugulo adegit iuvante Epaphrodito' cum versibus illis '. . trepidus . . | ensem iugulo condidit saevum Nero' id sibi comprobasse videbantur, poetam finxisse Neronem se ipsum trucidantem. Praetermitto verba, quorum congruentiae summam vim illi attribuunt, e tot Senecae Ovidiique locis sumi potuisse ut Ov. trist. I 1. 43 et Sen. Oed. 1037. Ad ultimum Poppaeae versum 739

> 'aut quem cruorem coniugis vidi mei?'

respiciunt nutricis verba

> 742 'coniugem thalamos toros
> vidisse te miraris amplexu novi
> haerens mariti?'

Nero novus maritus est, coniux igitur Crispinus. Quare etiam v. 739 Crispinus significatur. Eundem autem esse, qui v. 733 et 739 commemoratur, apparet. Ladek p. 6 versum 732 sq. ad Neronis, v. 728 sq. et 739 ad Crispini mortem spectare putat, quod improbo. Accedit aliud. Crispinus amore diu vetito fruitur. Subito Nero irrupit in thalamum et — se ipse occidit. Num putas sana mente fuisse poetam, si hoc voluisset? Cur tandem Nero se necat? Immo facinus illud cohaerere cum iis, quae antea de Crispino narrantur, elucet: Crispinus amplexus Sabinae petit, Nero amore et odio aemuli incitatus ensem iugulo illius condit. Sed obicientur verba nutricis, quae ita somnium Poppaeae explicare videntur, ut Braun et Vater voluere, versus 752

1) Cf. eius Studien p. 125 et dissertationem 'Zur Geschichte des Nero u. Galba' (Progr. scholae realis Hamburgensis anni 1860) p. 13 adn. 2.

2) Addam aliam similitudinem inter fabulam et Suetonium omissam ab illis, qui Tranquillo usum esse poetam dicunt, Suet. Ner. 37 '[Nero] negavit quemquam principum scisse, quid sibi liceret'; cf. Neronis in Oct. v. 453 verba: 'Inertis est nescire, quid liceat sibi'.

'iugulo quod ensem condidit princeps tuus:
bella haud movebit, pace sed ferrum teget'.

Nam quomodo pace ferrum tegitur, si Crispinus a Nerone occiditur? Dicam, quae sentio. Primum nutricis verba magno momento ad explicandum superiorem locum esse nego, cum nutrix fida, quaecunque formidolosa in somnio insunt, quoquo modo ita vertat, ut boni aliquid eveniat. Tum priore loco omnes, qui Octaviam legebant, Crispini necem significari animum advertere debebant. Quod autem manifestis verbis Crispini interfectio expressa non erat, nutrix repetitis dubiis Poppaeae verbis acumen rei in eo ponit, quod conditur ferrum seu Neronis seu Crispini iugulo. Gladius evanescit, pax fit. Sic puto explicandum esse eum locum. Ceterum iam olim Franciscum Ritterum in praef. p. VII et adnotatione ad v. 733 aeque ac me iudicasse cum gaudio vidi. Quodsi in schedis philologis p. 97 contendi diversa narrari de morte Crispini a Tacito et poeta, cum hic a Nerone illum necari faciat, Tacitus Crispinum participem coniurationis Pisonianae in Sardiniam expulsum (Tac. XV 71) postea 'accepto iussae mortis nuntio semet interfecisse' narret, erravi. In altero somnio v. 115 sq. Octavia Neronem ipsam et fratrem trucidantem cernere sibi videtur v. 121 sq. Hoc quoque loco ipse Nero Octaviam necat, re vera sororem Pandatariae a centurione interfici iussit. Idem de Crispini interfectione iudicandum est. Utroque loco auctor caedis pro 'ministro sceleris' ponitur.

Toto autem caelo inter se distare Taciti et poetae de Agrippinae naufragio et morte narrationem[1]) et Ladek p. 28 sq. et ego exposui sched. p. 98 sq., quae discrepantia eo maioris momenti videtur esse, quia una res haec prolixe et accurate in fabula enarratur. Omisit poeta conatum illum Neronis matrem navigantem ruina camerae necandi, quem Tacitus XIV 5 narrat '.... cum dato signo ruere tectum multo plumbo grave pressusque Crepereius et statim exanimatus est. Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus ac forte validioribus, quam ut onere cederent, protectae sunt.' Suetonius Ner. 34 similiter refert ante navigium illud lacunaria esse parata, 'quae noctu super dormientem laxata machina deciderent' et commentum esse Anicetum navem, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret. Nihil eiusmodi in Octavia. Sumpsisse autem sibi poetam dici potest ius libere materiae historicae usurpandae. Assentirer, nisi apud Dionem quoque, quantum e Xiphilino et Zonara cognoscimus, nullam eius facti mentionem inveniremus. Persuasum igitur habeo duplicem eius rei fuisse memoriam, secutum esse poetam eandem facti narrationem atque Dionem. Vide, quantum in summa rei differant Tacitus et auctor Octaviae, id quod iam Vater l. l. p. 605 vidit. Tacitus: 'nec dissolutio navigii sequebatur turbatis omnibus

1) Cf. de hac re Tac. XIV 5—8, Suet. Ner. 34, Dion. LXI 13. V. Ranke W. G. III 2 (Kritische Analekten) p. 311 sq., Schiller Nero p. 24 et p. 39.

et quod plerique ignari etiam conscios impediebant. Visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem submergere; sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus.' Sequitur narratio virtutis Acerroniae et fugae Agrippinae. Idem et Suetonii verbis 'sed ut diversa omnia nandoque evasisse eam comperit' [Nero] elicias, nam antea narravit solutilem navem ad interficiendam Agrippinam aedificatam esse, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret. Num ulla similitudo inveniri potest inter hanc facti relationem et tragoediae versus 318 sq.

. . . 'ratis,
quae resoluto robore labens
pressa dehiscit sorbetque mare'
324 . . 'lacerae puppis tabulis'?

Conspirat iterum cum Octavia Dio Xiphilini: Ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἤνεγκεν ἡ θάλασσα τὴν μέλλουσαν ἐπ᾽ αὐτῇ τραγῳδίαν ἔσεσθαι οὐδ᾽ ὑπέμεινε τὴν ψευδολογίαν τῆς ἀνοσιουργίας ἀναδέξασθαι, διελύθη μὲν ἡ ναῦς καὶ ἡ Ἀγριππῖνα ἐς τὸ ὕδωρ ἐξέπεσεν, οὐ μέντοι καὶ ἀπέθανεν, ἀλλὰ . . . . διεσώθη. In hac re, quod non interiit mater Neronis naufragio illo, omnes consentiunt praeter unum Philostratum, qui in vita Apollonii IV 38 haec narrat Οὗτοςὶ [Νέρων] ναυαγίῳ τὴν μητέρα ἀπέκτεινε πλοῖον ἐπ᾽ αὐτῇ ξυνθεὶς, ὑφ᾽ οὗ ἀπώλετο πρὸς τῇ γῇ. Unde haec sumpta sint, nescio. Alteram autem narrationis formam, quam apud ceteros historicos habemus, volgarem fuisse e Martialis quoque epigrammate elucet, quod testimonium, etsi antiquissimum est de ea re — editus enim est liber quartus Martialis iam anno 88 — historici neglexisse videntur (IV 63):

'Dum petit a Baulis mater Caerellia Baias,
  Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perit vobis! haec monstra Neroni
  Nec quondam iussae praestiteratis, aquae',

quae verba affinitatem quandam habent cum Dionis verbis supra enotatis. Tertium, quo discrepat poeta a Tacito, hoc est: Agrippina 'navis dissolutae fragmine haerens' (Ladek) v. 333 'haec' exclamat 'mihi pro tanto | munere reddis praemia, nate?' eqs. Quibus de Agrippinae verbis a nullo rerum scriptore quidquam comperimus. Tacitus XIV 5 Agrippinam silentem nando evasisse tradit. Quid de ea re iudicabimus? Ladek p. 28 verba a poeta utpote arte rhetorica sui aevi imbuto ficta esse suspicatur, quam coniecturam in proximo esse concedo. Tamen quoniam nusquam ullum huiusmodi figmentum apud anonymum nostrum legimus, mihi quidem similius veri videtur esse re vera alicubi traditam esse similem Agrippinae exclamationem. Utrum Augusta tum ea verba dixerit necne, hoc nihil refert, quia libris historicis poetam usum esse in describendis rebus postea demonstrabitur. Tales autem declamationes optime ad rerum scriptores

antiquos quadrare nemo nescit. Iam adeamus ad ea, quae de morte ipsa Agrippinae traduntur.[1]) Vides apud Tacitum trierarchum fusti caput eius affligentem, in fabula gladium pectori Agrippinae infixum. Ultima verba secundum Tacitum 'ventrem feri', secundum Dionem[2]) παῖε ταύτην, Ἀνίκητε, παῖε, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν. Cum Dione conspirant fabulae verba

371 'hic est, hic est fodiendus' ait
'ferro, monstrum qui tale tulit'.[3])

Qua de discrepantia vereor, ne non recte in schedis p. 99 iudicaverim. Ibi enim adductus duplici memoria extremorum Galbae verborum, de qua re vide Nissenum Rhen. Mus. tom. XXVI p. 509 adn., sic conclusi, quoniam in aliis quoque, quae ad Agrippinam pertinent, dissentirent scriptores, de extremis Agrippinae verbis idem statuendum esse; secutum esse poetam eandem narrationis formam atque Dionem. Nunc discrepantiam non esse inter Taciti verba et Dionem Octaviamque intellego, nam Taciti verba 'feri ventrem' sensu carent, nisi 'quia Neronem tulit' vel simile quid additur. Quare pleniorem formam dicti genuinam et veram esse nobis persuadebimus, quam Tacitus haud commode decurtarit. Hoc dicere licet veri simile non esse e Tacito sumpsisse ea verba poetam, nam si Tacito usus esset, non addidisset 'monstrum qui tale tulit'. Liceat mihi nonnulla addere

---

1) Collatos locos scriptorum habes in schedis philologis p. 99. Melzer in dissertatione de Hercule Oetaeo in programmate gymnasii Chemnitziani 1890 p. 16 adn. voluit versum 1000 (Deianira:) . . 'dexteram intrepidam para. | patet ecce plenum pectus aerumnis. feri!' et versum 992 sq. . . 'Seu tibi iugulo placet | mersisse ferrum sive maternum libet | invadere uterum, mater intrepidum tibi | praebebit animum' referre ad Agrippinae mortem, unde concludit Herculem alterum, quam Senecae genuinam tragoediam esse totam demonstrare conatur, post annum 59 factam esse. Haec ratio indagandi vestigia historica minime probanda est. Eiusdem vitii noxius fuit Peiper in supplemento editionis tragoediarum. Cf. Leonis iudicium in observ. crit. p. 134 adn. 28. Per se similitudo haud ita parva inter facta Medeae Agamemnonis aliarum personarum mythicarum et inter personas historicas est. Quomodo tandem personae illae loqui debent? Semper similitudo fiet. Quamquam Romae facile dicta tragica ad homines domus Augustae referebantur, ut docet exemplum Aemilii Scauri Tiberianis temporibus (Tac. ann. VI 29. Dio LVIII 24), tamen stultum est ex eiusmodi verbis concludere poetam Neronem vel Claudium aggredi voluisse. Novissimus W. Ribbeck 'der Sturz der Messalina u. die Phaedra des Seneca' in Ztschr. f. Gesch. u. Polit. 1888 p. 608—615 [non vidi] et in Rhen. Mus. tom. XLIII p. 636 eam viam ingressus est, non puto felicius quam ceteri.

2) Sic omnia Dionis excerpta et epitomae, Xiphilinus, Zonaras XI 12 tom. III Dind. p. 192, Ioannes Antiochenus frgm. 90, excerpta Constantiniana tituli περὶ γνωμῶν in Dionis Dindorf. tomo V p. 192, Glycas p. 441, 15 sq. Cum apud ceteros, Georgium Monachum, Cedrenum, Leonem Grammaticum, ea narratio non inveniatur, e Zonara sua sumpsisse Glycam veri simile est.

3) In ipsis verbis componendis poeta imitatus est Sen. Troad. 707, Oed. 1038, Phoen. 447.

de additamento sat simili illi 'monstrum qui tale tulit', quod Iulii Vindicis ad Gallos orationi insertum est. Leguntur enim apud Philostratum vit. Apollonii V 10 haec: [Vindex] ἔφη γὰρ Νέρωνα εἶναι πάντα μᾶλλον ἢ κιθαρῳδὸν καὶ κιθαρῳδὸν μᾶλλον ἢ βασιλέα, προφέρειν δ' αὐτῷ μανίαν μὲν καὶ φιλοχρηματίαν καὶ ὠμότητα καὶ ἀσέλγειαν πᾶσαν, τὸ δ' ὠμότατον τῶν ἐκείνου μὴ προφέρειν αὐτῷ, τὴν γὰρ μητέρα ἐν δίκῃ ἀπεκτονέναι, ἐπειδὴ τοιοῦτον ἔτεκε. Utrum oratio Vindicis[1]) iam in libro, unde Philostratus pleraque sumpsit, in Damidis Ninivitae vita Apollonii fuerit necne, omnino discerni nequit, quoniam ne Goettsching quidem, qui in dissertatione Lipsiensi anni 1889 novissime Apollonii vitam tractavit, quidquam certi de Damide illo enucleavit. Artissime autem cohaerere cum Vindicis verbis τὸ δ' ὠμότατον eqs. a Philostrato servatis Constantini Manassae versus 2022 sq.

οὗτος [Νέρων] πολλοὺς ὑπήγαγεν θανάτοις πικροτάτοις
καὶ τὴν μητέρα σὺν αὐτοῖς· εἴποι τις ἂν δικαίως,
ὅτι κακὸν εἰσήνεγκε τοιοῦτον τοῖς ἐν βίῳ·
ἐπικατέθυσε δ' αὐτῇ καὶ τὴν ὁμοζυγοῦσαν,

nemo non videt. Utrum autem additamentum illud, quod apud neminem ceterorum Byzantinorum reperies, e Philostrato an ex communi fonte manaverit nescio. Illud Buechelerus praefert. Philostrati vitam Apollonii legisse scriptores Byzantinos constat.

Gravissimum autem argumentum, quo non hausisse poetam e

---

1) Eam Vindicis orationem apud Xiphilinum quoque legimus LXIII 22, omiserunt Zonaras et Ioannes Antiochenus; Dionem composuisse orationem Schillerus Nero p. 265 adn. 3 putat ex Vindicis edictis contumeliosis et frequentibus. Quae infuerint istis in epistulis, ex Suetonio Ner. 41 discimus. Alterum crimen, quod ibi indicatur, Neronem a Gallo Aenobarbum nominatum esse, neque apud Philostratum neque Dionem invenimus. Prius autem, Neronem malum esse citharoedum, in primis in Philostrati orationis initio legitur. Nimis audax videtur esse Schillerus, quod dixit hausisse Dionem ex epistulis illis Suetonianis; hoc puto contendi posse ad eundem fontem redire et ea, quae Dio et Philostratus Vindicem dicentem faciunt, et ea, quae Suetonius de epistulis illis narrat. Nam quamqnam non audeo dicere cum W. A. Schmidtio in dissertatione inscripta 'ueber die Quellen des Zonaras', seorsum expressa in Zonarae editione Dindorfiana tom. VI p. XLVI, sumpsisse Dionem, quae ad Apollonium pertinent LXVII 18 (idem e Dione habet Io. Antioch. in exc. περὶ ἐπιβουλῶν frgm. 107. cf. Philostr. VIII 26) et LXXVII 18 (cf. Philostr. VIII 31, 4) e Philostrati vita magi illius, tamen adhibuisse Dionem Philostratea patet e Zonara tom. III p. 61 τοῦτο δὲ καὶ ὁ Φιλόστρατος τὸν τοῦ Ἀπολλωνίου βίον συγγεγραφὼς οὕτως ἀνέγραψεν. Schmidtii coniecturae et καὶ illud obstat et differentia, quae inter Dionis et Philostrati narrationes est, quam hic tractare longum est. Quamquam igitur constat Dionem usum esse Philostrato, tamen minime verisimile est in aliis rebus ad Apollonium non pertinentibus Dionem adhibuisse Philostrati vitam. Ratio quae sit inter ea, quae Philostratus de rebus Romanis tradit, et ea, quae ceteri rerum scriptores, nondum revelatum est, nam Goettsching ea tantum, quae ad Apollonium ipsum spectant, tractavit. Conferas, quae postea de Iosepho et Philostrato disputabimus.

Taciti libris probemus, inde sumendum est, quod nonnulla in fabula inveniuntur cum nullo historico concinentia.

Versibus 166 sq. narratur leviter mors Britannici, intente funus

169 'Britannice, heu me, nunc levis tantum cinis
et tristis umbra; saeva cui lacrimas dedit
etiam noverca, cum rogis artus tuos
dedit cremandos membraque et vultus deo
similes volanti funebris flamma abstulit'.[1])

Omnes rerum scriptores Tacitus XIII 17, Suetonius Ner. 33 de funere fratris Neronis narrant tam turbidis imbribus sepultum esse puerum infelicem, ut volgus iram deorum portendi crederet adversus facinus. Praeter ceteros Zonaras tom. III Dind. p. 38 refert (Xiphilini epitome multo brevior est) ὁ Νέρων ἀπέκτεινε φαρμάκῳ αὐτόν· καὶ ὁ μὲν παραχρῆμα ἀπέψυξε φοράδην ὡς ἐπίληπτος ἐκκεκόμιστο· ἐν δέ γε τῇ ἐκφορᾷ ἐπεὶ πελιδνὸς ὑπὸ τοῦ φαρμάκου γέγονε, γύψῳ χρισθεὶς διὰ τῆς ἀγορᾶς ἤγετο· ὑετὸς δὲ πολὺς ὑγρᾶς ἔτι τῆς γύψου οὔσης ἐπιπεσὼν ἅπασαν αὐτὴν ἀπέκλυσεν, ὥστε τὸ δεινὸν μὴ μόνον ἀκούεσθαι ἀλλὰ καὶ ὁρᾶσθαι. Congruit cum Zonara etiam Ioannes Antiochenus frgm. 90, qui exornata Dionis narratione verbis ὡς δεινὸν . . . ὁρᾶσθαι addidit πελιδνὸς γὰρ ὅλος ἐγένετο καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀνεῳγμένοι καὶ τοὺς ἐφόρους πρὸς τιμωρίαν καλοῦντες. Licet in Taciti et Suetonii simpliciore relatione subsistamus, in fabula nihil, quod Britannici funus prae aliis insigniat, legimus, immo, quod ibi narratur, ipsam Agrippinam corpus busto tradidisse, apud neminem invenitur. Neque est, cur verum id esse negemus, qua de re conferas velim Ladekium p. 101. Hoc certissimum est non potuisse eam rem sumere poetam e Tacito.

Sequantur versus 193 sq.

[Nutrix:] 'violare prima quae toros ausa est tuos
animumque domini famula possedit diu
iam metuit eadem — [Oct.:] Nempe praelatam sibi.

---

1) Sic puto esse scribendum. Infelicissime hunc locum temptavit Aemilius Baehrens in Miscellaneis criticis p. 117, qui pro 'saeva' 'scaeva' et postea 'saeviens flamma' scripsit. Adstipulor Ladekio p. 100, servandum esse versu 172 'dedit', quod codices tradunt. Quod autem codicum L N lectionem 'flamma fervens' servandam esse censet, primum nihili aestimat lectionem ceterorum codicum 'fervens flamma', tum legem gravissimam senarii neglexit, quam Schmidt in dissertatione celeberrima 'de Senecae tragoediarum emendandarum rationibus prosodiacis et metricis' et Leo in observationibus criticis de Senecae tragoediis p. 58 exposuerunt quam ipse Ladek frustra ac non recte p. 102, ubi de versu 457 loquitur, infringere conatur. Nam vocabulum creticum versum claudens in Octavia semper, nisi vocabulum bisyllabum bibreve antecedit, vocabulo praecedenti coalescit. Quare ego subsistendum esse puto in Buecheleri coniectura 'funebris flamma', praesertim cum codices omnes praeter L N quam lex metrica poscit synaloephen praebeant, 'fervens flamma abstulit'.

> [Nutr.:] Subiecta et humilis, atque monumenta exstruit,
> quibus timorem fassa testatur suum’,

qui ad Acten libertam sine dubio referendi sunt, quos ex rerum scriptoribus non posse explicari sched. p. 102 adn. 1 dixeram. Versus tot coniecturis et interpretationibus vexatos — cf. Ritter praef. p. X, Braun p. 29, Vater p. 606, Baehrens p. 117 — tandem explicavit sagacissime Ladek p. 24 sq. Exstat enim titulus Actes Pisis repertus C.I.L. XI 1414 ‘C]ereri sacrum | [Claudia] Aug. lib. Acte’, quem primus Ladek ad istos versus adhibuit. Demonstratur eo titulo Acten, nam ad Acten Neronis paelicem eum spectare certum videtur esse, Acten Pisis Cereri templum dedicasse. Servius autem ad Verg. Aen. III 139 de Cerere sic: ‘quidam dicunt diversis numinibus vel bene vel male faciendi potestatem dicatam, ut Veneri coniugia, Cereri divortia’. Sic explicantur verba: ‘monumenta exstruit, quibus timorem fassa testatur suum’. Num ipsum monumentum Pisanum poeta ante oculos habuerit, diiudicari nequit. Eiusmodi autem Actes aedificia significari patet. Iure Ladek eum fabulae locum magno pondere esse dicit. Nam nullus rerum scriptor haec monumenta Actes commemorat.

Versibus 609 sq. Agrippinae umbra saevitiam et impietatem Neronis adversus matrem mortuam queritur:

> ‘saevit in nomen ferus
> matris tyrannus, obrui meritum cupit,
> simulacra, titulos destruit matris metu
> totum per orbem, quem dedit poenam in meam
> puero regendum noster infelix amor’.

Sine dubio hisce versibus memoriae Agrippinae damnatio quaedam a poeta dicitur, de qua e rerum scriptoribus nihil discimus, nisi e Tacito XIV 12 senatum post mortem eius decrevisse[1]) ‘supplicationes apud omnia pulvinaria, utque Quinquatrus, quibus apertae insidiae essent, ludis annuis celebrarentur; aureum Minervae simulacrum in curia et iuxta principis imago statueretur; dies natalis Agrippinae inter nefastos esset’. Nihil autem de destructione simulacrorum, de rasura nominis titulis inscripti a Tacito comperimus. E Tacito poeta illa sumere non potuit. Quominus autem putemus finxisse sibi poetam facta illa, impedit excerptum Constantinianum περὶ γνωμῶν, de cuius origine Dionea iam supra diximus, ‘Ὅτι ἐϲιόντοϲ Νέρωνοϲ, postquam post Agrippinae mortem furiis agitatus Neapolim concessit, εἰϲ τὴν Ῥώμην τοὺϲ τῆϲ Ἀγριππίνηϲ ἀνδριάνταϲ καθεῖλον· μὴ φθάϲαντεϲ δὲ ἕνα ἀποτεμεῖν ῥάκοϲ αὐτῷ ἐπέβαλον, ὥϲτε δοκεῖν ἐγκαλύπτεϲθαι. καί τιϲ παραχρῆμα ἐπιγράψαϲ προϲέπηξε τῷ ἀνδριάντι ‘ἐγὼ αἰϲχύνομαι καὶ ϲὺ οὐκ αἰδῇ;’ Etsi secundum haec neque ipse Nero (nam codicis scripturam καθεῖλεν depravatam esse e καθεῖλον patet) simulacra

1) Cf. Henzen, Act. fratr. Arval. p. 77.

destruxit neque per totum orbem terrarum, videmus tamen Romae dirutas esse effigies Agrippinae. Quid autem poetae propius esse poterat, quam ut simulacris matris principis destructis culpam destructionis ipsi matricidae attribueret?

Tum Nero titulos matris erasisse dicitur. Unicum, quod scio, exemplar nominis Augustae erasi est CIL. X 1574 = Henz. Or. 5406 = Wilmanns 905, quae inscriptio posita est Puteolis anno 56. Tractavit eam Aschbach in dissertatione academiae Vindobonensis (tom. XXIV 1857 p. 93 sq.), cui titulus est 'ueber roemische Kaiserinschriften'. Ipse titulus hic est: 'Q. Volusio Saturn. | P. Cornelio Scip. cos | Augustales | qui ////////// Claudio | Caesari August. et | //////////// Augustae | I. o. m. et Genio coloniae | ludos fecer. XIII. XII. K. Mart. | C. Tantilius C. C. l. Hyla | Cn. Pollius Cn. l. Victor | C. Iulius C. l. Glaphyr | curatoribus.' Priore loco restituendum esse 'Neroni' apparet. De nomine altero eraso dubitaverunt viri docti. Aschbach excidisse putavit 'Octaviae', quod esse nequit. Octaviae enim Augustae nomen inditum non est. Recte Panvinium secutus Henzen restituit, quod unum admittitur, nomen Agrippinae. Anno enim 56 Agrippinam summo in culmine potentiae fuisse nemo nescit. Quaeritur, utrum in inscriptione illa utriusque nomen uno tempore erasum sit, an Agrippinae prius, id est paulo post mortem eius. Aschbach Octaviae nomen ante Neronis nomen Nerone vivo erasum esse putavit. Idem[1]) puto de eraso Agrippinae nomine dicendum esse. Nam post Neronis obitum non erat, cur matris quoque infelicissimae nomen saevitia filii occisae eraderetur. Si autem videmus, quo fuerit animo populus Romanus paulo post Agrippinae mortem, cum Nero dilectus a populo Romae versaretur, Agrippina invisa omnibus principi filio insidias parasse putaretur, paulo post mortem feminae illius una fere cum destructione simulacrorum oblitterationem factam esse nobis persuadebimus. — Quid igitur putabimus de rebus, quae insunt versibus illis praetextatae? Veri simile est unum poetam servasse memoriam destructionis simulacrorum, oblitterationis nominis Agrippinae in titulis. Liviae enim (Tac. VI 2) et Valeriae Messalinae (Tac. XI 38) effigies destructas, nomina erasa[2]) esse scimus. Neque abhorret a veri similitudine senatum post Agrippinae mortem, quae criminum gravissimorum accusabatur in 'Senecae scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet' (Quintil. VIII 5, 18), similia decrevisse. Quod autem tot inscriptiones servatae

1) Recte Aschbach p. 96 'Es lässt sich' inquit 'nicht denken, dass, selbst wenn der Name der Agrippina neben dem des Nero auf einem Denkmal sich befand, ersterer mit dem letzteren zusammen vernichtet worden sei'. Cf. Zedler, de memoriae damnatione, diss. inaug. Lipsiens. (Darmstadiae 1885). p. 28 „id quod non eidem scalpro deberi videtur".

2) Messalinae nomen erasum est CIL. VI 918 (= Wilm. 898) et Wilm. 4474 'M. Valerius | Antiochus | tonsor · d · q | Eupor | Valer. | Messalinae', ubi Valeriae nomen erasum, Messalinae non est.

sunt, in quibus non est erasum nomen Augustae, meminerimus damnatae memoriae Neronis, cuius titulorum parva pars oblitterationem olim decretam nobis ostendit.[1]) Seu vera res seu falsa est, certissimum est poetam eam non sumpsisse e Tacito.

Apparet ex eis, quae disseruimus, non congruere Tacitum et fabulae auctorem. Itaque Tacitus fons tragoediae non est. Quominus autem e Dione (nam de Suetonio omnino cogitare non licet), quocum nonnullis in rebus conspirat, hausisse putemus poetam, multa impediunt, in primis hoc, quod totiens dissentit a Dione. Praeterea vide qualis sit Seneca apud Dionem et in Octavia. Poeta eum quasi verum philosophum depingit, Dio hominem nequissimum. Alia autem e Dione, alia e Tacito vel Suetonio sumpsisse poetam nec veri simile esse omnes concedent et plane tollitur haec sententia iis exemplis, quae e neutro depromi potuisse supra demonstravimus. Qua de causa necesse est concludamus ante Tacitum fabulam esse scriptam.[2]) Nam Tacitus et Suetonius soli fere postea legebantur, ceteri, qui ante Tacitum aetatem Neronianam enarraverant, Cluvius Rufus, Plinius, Fabius Rusticus brevi evanuerunt e manibus legentium, qua de re conferas Nissenum Rhen. Mus. tom. XXVI p. 498.

Caput III.

De fabulae fontibus historicis.

Relicum est, ut quaeramus, utrum ad res enarrandas historicis usus sit poeta, an ea, quae refert, ipse viderit et eam ob causam rerum scriptores ignoraverit aut neglexerit. Sic ego respondendum esse puto usum esse ad componendam fabulam rerum scriptoribus poetam, quod similitudines multae cum aliis auctoribus, quibuscum Octavia in aliis rebus plane non conspirat, reperiuntur, quae similitudines nisi ad unum fontem reducendo expediri mihi quidem videntur non posse.

Ac primum quidem de iis similitudinibus, quas esse re vera inter Tacitum et praetextatam Braunio concedemus, agendum est, quas si Braunius acrius excussisset, facile verum eruisset. Ille enim p. 53 fabulam a carceribus usque ad calcem e Tacito sumptam esse, inprimis quatenus Neronis adversus Octaviam condicio respiceretur, dixit, quod falsum esse iam supra exposuimus. Cum autem, quae a capite 60 ad caput 62 rerum scriptor narrat, in fabula aut omnino non inveniantur aut valde mutata, inde a medio capite 63 similitudo magna inter Taciti verba et fabulam intercedit. Comparentur inter se loci illi:

1) De Neronis nominis oblitteratione v. Zedler l. l. p. 28 sq.
2) Ladek p. 48 de hac re nimis caute iudicat.

Tac. XIV 63.

At Nero praefectum in spem sociandae classis corruptum, et incusatae paulo ante sterilitatis oblitus, abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi comperta edicto memorat insulaque Pandataria Octaviam claudit. non alia exul visentium oculos maiore misericordia affecit. meminerant adhuc quidem Agrippinae a Tiberio, recentior Iuliae memoria obversabatur a Claudio pulsae:

Oct. 929 sq.

[Chorus:] animum firment exempla tuum, | iam multa domus quae vestra tulit: | quid saevior est Fortuna tibi? | tu mihi primum | tot natorum memoranda parens, | nata Agrippae, nurus Augusti, | Caesaris uxor eqs.

941 felix thalamis | Livia Drusi eqs.

944 Iulia matris fata secuta est | eqs.

947 quid non potuit quondam genetrix | tua [Messalina]? eqs.

952 quid cui licuit regnum in caelum | sperare, parens tanta Neronis? | eqs.

sed illis robur aetatis adfuerat; laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant. huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet erepto per venenum patre et statim fratre; tum ancilla domina validior et Poppaea non nisi in perniciem uxoris nupta, postremo crimen omni exitio gravius.

Oct. 100 sq.

[Octavia:] Toleranda quamvis patiar, haud unquam queant | nisi morte tristi nostra finiri mala. | genetrice caesa, per scelus rapto patre, | orbata fratre, miseriis, luctu obruta, | maerore pressa, coniugi invisa ac meae | subiecta famulae luce non grata fruor | trepidante semper corde non mortis metu, | sed sceleris — absit crimen a fatis meis, | mori iuvabit; eqs.

Tac. ann. XIV 64

Ac puella vicensimo aetatis anno inter centuriones et milites praesagio malorum iam vitae exempta nondum tamen morte adquiescebat. paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret, qua incolumi infelix quidem matrimonium, sed sine exitio pertulisset.

Oct. 652

[Chorus:] dabit hic nostris | finem curis vel morte dies: | . . . . . | 658 soror Augusti, non uxor ero.

Affinitate haud ita parva conexos esse tres locos illos, quos, ut facilius et similitudo et dissimilitudo cognosci posset, integros enotavi, quis non sentit? Inquirendum autem est, fortuitane sit similitudo an necessaria, sive quia uterque eodem auctore usus est sive quod alter ab altero sua decerpsit. Quod attinet ad primam similitudinem, agitur apud utrumque scriptorem de eadem re: expellitur Octavia. Tacitus addidit 'non alia exul visentium oculos maiore misericordia affecit. meminerant . . . Agrippinae . ., recentior Iuliae memoria obversabatur . .'. Cui non statim in mentem venit Octaviae versuum, quibus chorus Octaviam aliarum domus imperatoriae feminarum exemplis consolari studet? Quo autem 'meminerant' illud Taciteum spectat? Sine dubio ad fontem aliquem, e quo Tacitus sua sumpsit. Hoc recte Ladek p. 43 cognovit. Quis fuerit auctor Taciti, nescimus. Id certissimum est non fuisse Octaviam fabulam. Octaviae autem poetam Tacito usum non esse et supra demonstravimus et ex his ipsis locis clarissime elucet. Cf. Ladekium p. 43. Verba autem tragoediae aliquo modo cum Taciteis cohaerent. Quodsi ad eundem fontem redire utriusque scriptoris seriem feminarum domus Iuliae Claudiaeque contendemus, obicietur primum apud Tacitum Iuliam Germanici filiam significari, ab Octaviae poeta Iuliam Drusi filiam, tum Tacitum exempla exulum feminarum praebere, anonymum nostrum exempla feminarum, quae triste fatum seu exilium seu mortem perpessae sint. Sed hoc contra adversarium dicam, ut omittam non uno hoc, sed tribus locis congruere videri Tacitum et fabulam, perparvam veri speciem praebere sententiam opinantium duos scriptores suo ingenio ad eandem collationem deductos esse. Conferatur utriusque scriptoris series: Tacitus Agrippinae maioris et Iuliae Germanici filiam[1]) sortem in memoriam legentium revocat, tragoediae autem chorus exemplo Agrippinae maioris, Liviae Drusi I filiae, sororis Germanici, Iuliae Drusi II filiae, Messalinae, Agrippinae minoris dominam consolari studet. Quarum tabellarum utra genuina videtur esse? Taciteam si non esse, tamen videri nemo negabit. Nam secundum ea, quae praecedunt, exspectamus, exempla earum feminarum gentis Iuliae Claudiae ut enumerentur, quae, quia in exilium pulsae sunt, animum Octaviae confirmare possunt. Relegata autem est ex quinque feminis, quae in Octavia afferuntur, una Agrippina maior (Suet. Tib. 53, Tac. ann. VI 25), Iulia enim Drusi filia Romae videtur a Messalina necata esse (Tac. XIII 32. 43, Dio LX 18, 4). Utraque autem, quam Tacitus commemorat, exilium perpessa est. Ea autem, quae supra adversario dedi, satis bene sic explicari posse puto. Hoc

1) Quae ipse sched. p. 103 suspicatus eram, a Tacito Iuliam Germanici, ab Octaviae poeta Iuliam Drusi significari, eximia cum doctrina et qua est diligentia demonstravit Ladek p. 38 sq., cui eam ob rem laus debetur summa, nam quisquis in gentis Iuliae et Claudiae historia familiari versatur, scit, quot et quantas difficultates eius generis quaestiones moveant.

posito utriusque verba ad eundem fontem redire, Tacitus accurate servavit, quae invenit, Octaviae autem poeta, ut erat et poeta et homo arte rhetorica imbutus, fortasse nimis exilem esse duorum nominum seriem ratus numerum auxit. Cum autem non plures quam duae illae expulsae essent, nam Iuliam maiorem filiam Augusti uterque omisit, generalem sensum introducere coactus erat 'monens multarum stirpis Iuliae feminarum sortem miserrimam fuisse' (Ladek). Quod apud Tacitum Iulia Germanici, apud poetam Iulia Drusi filia significatur, hoc ita expediri posse existimo, ut poeta in auctore, quem sequebatur, Iuliae Germanici nomen invenerit; cum autem tabulam augere vellet, ei in mentem venit Livillae. Quid magis consentaneum est quam matri filiam, cui idem Iuliae nomen eràt, addere? Sic ortam esse seriem una res nunc quoque testificatur. Ordo nominibus enarrandis natura quasi destinatus chronologicus est. Praetextatae poeta, quod tabellam eandem ac Tacitus in eodem fonte legebat, in primo nomine, ut fidus est assecla exemplorum suorum, auctorem illum non cunctatus est sequi. Incipit igitur ut Tacitus ab Agrippina Agrippae et Iuliae filia; interponit inter Agrippinam et Iuliam Livillam matrem huius, filiam Drusi maioris, uxorem Drusi minoris necatam a Tiberio (Dio LVIII 11, 6). Secuntur ordine chronologico Iulia Drusi filia mortua anno 43, Messalina anno 48, Agrippina mater Neronis anno 59 interfecta. Ordinem igitur violatum videmus, nam Livillam ante Agrippinam maiorem interfectam esse constat, haec enim anno 33, illa iam anno 31 mortua est.

De altero loco item iudicandum esse puto atque in schedis p. 103 censui cohaerere eos locos artissime neque rem posse evolvi, nisi ex eodem fonte utrumque hausisse putemus.

De tertio loco ipse Ladek p. 43 sic iudicat: 'videmus homines Octaviam reapse talibus verbis se defendentem finxisse. Sed nisi iam inter nos constat Octaviae tragoediam post Taciti annales conscriptam esse, ex tali similitudine nemo iure elicere poterit fabulae scriptorem e Tacito pendere, immo statuamus oportet et ea, quae Tacitus tradidit, et ea, quae in Octavia leguntur, ad communem quendam fontem redire'. Quibus verbis addendum nihil est.

Hisce igitur rationibus nixi contendimus fontem esse quendam, ex quo uterque hauserit, quem fuisse e rerum scriptoribus, quibus Tacitus usus est, aliquem patet. Qua re ad Cluvium Rufum aut Fabium aut Plinium deducimur. Nam etsi secundum Iosephi testimonia A. I. XX 8, 3 (XX 154 N.) et B. I. II 9, 2 multi rerum scriptores aetatem Neroneam descripserunt, tamen Tacitum unum triumviratum illum hisce in libris componendis secutum esse scimus ex ipsius verbis XIII 20 'Fabius Rusticus auctor est ......; Plinius et Cluvius ....; nos consensum auctorum secuturi, si qui diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus'. Tacitus fontis ordinem sequitur, namque historicus est, Octaviae poeta narrationis, quae in illo anonymo legebatur, partes per tragoediam dispertivit, id quod poetae non modo ius, sed etiam paene officium erat.

Postquam huc pervenimus, etiam ultra progredi licet. Nam magna cum veri similitudine etiam nunc cognoscere possumus, quis e tribus illis historicis et poetae et Tacito eo loco praesto fuerit. Auxilio nempe venit Flavius Iosephus. Conspirant enim Agrippinae verba v. 333 sq. cum Iosepho A. I. XX 8, 2 (= XX 153 N.), ubi catalogus scelerum Neronis exstat.

Oct. 333 sq.

'haec' exclamat [Agrippina] 'mihi pro tanto | munere reddis praemia, nate? | Hac sum, fateor, digna carina, | quae te genui, quae tibi lucem | atque imperium nomenque dedi | Caesaris amens'.

Ios. A. I. XX 8, 2 (XX 153 N.)

Νέρων δὲ τὴν ἀρχὴν οὕτως παραλαβὼν Βρεταννικὸν μὲν ἀδήλως τοῖς πολλοῖς ἀναιρεῖ διὰ φαρμάκων, φανερῶς δὲ οὐκ εἰς μακρὰν τὴν μητέρα τὴν ἑαυτοῦ φονεύει ταύτην ἀμοιβὴν ἀποτίσας αὐτῇ οὐ μόνον τῆς γενέσεως, ἀλλὰ καὶ τοῦ ταῖς ἐκείνης μηχαναῖς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν παραλαβεῖν.

Idem autem, quod superiore loco, hic quoque dici potest eum consensum esse fortuitum vel potius necessarium, quod in eius modi recapitulatione sensus idem verba fere eadem trahat. Concedo similia saepius in tragoedia legi ut v. 95 sq., 125 sq., 612 sq. Apud Dionem quoque enumerationem rerum ab Agrippina gestarum invenimus LXI 14, 1 οὕτω μὲν ἡ Ἀγριππῖνα .. ὑπ' αὐτοῦ τοῦ υἱέος, ᾧ τὸ κράτος ἐδεδώκει, δι' ὃν ἄλλους τε καὶ τὸν θεῖον ἀπεκτόνει, κατεσφάγη. Ac Philostratus eundem fere sensum exprimit in vita Apollonii IV 38, 3 οὑτοσὶ δὲ [ὁ Νέρων] καὶ ἐσποιηθεὶς ὑπὸ τῆς μητρὸς γέροντι βασιλεῖ καὶ κληρονομήσας τὸ ἄρχειν ναυαγίῳ τὴν μητέρα ἀπέκτεινε[1]) eqs. Sed nusquam id, quod proprium habent dicta illa Iosephi et Octaviae, reperies. Tacitus omnino omisit talem ἀνακεφα-

1) Miro modo conspirant Philostrati verba cum Iosepho B. I. II 12, 8 [Κλαύδιος] τελευτᾷ καταλιπὼν Νέρωνα τῆς ἀρχῆς διάδοχον, ὃν ταῖς Ἀγριππίνης τῆς γυναικὸς ἀπάταις ἐπὶ κληρονομίᾳ τῆς ἀρχῆς εἰσεποιήσατο καίπερ υἱὸν ἔχων γνήσιον. Quoniam autem ultima pars enuntiati Philostratei e Iosepho sumpta esse nequit neque omnino intellegi potest, cur Philostratus Iosepho usus sit, ad communem fontem redire videtur similitudo illa. In eodem Philostratei libri capite Nero Alcmaeoni et Oresti comparatur, quibus etiam apud Suetonium, Dionem, Iuvenalem VIII 215 Nero confertur. Alia quoque in re consentire Iosephum et Philostratum adnotare mihi liceat. Nam quae Philostratus VI 29 narrat Titum Hierosolymis expugnatis a finitimis gentibus coronatum esse, ea nusquam nisi in Iosepho inveni, ubi accuratius ea res enarratur B. I. VII 5, 2 ἔνθα [Zeugmate] δὴ καὶ παρὰ τοῦ Πάρθων βασιλέως Βολογέσου πρὸς αὐτὸν ἧκον στέφανον χρυσοῦν ἐπὶ τῇ κατὰ τῶν Ἰουδαίων νίκῃ κομίζοντες. Conferas etiam quae de catarrho Neronis a. 66 Philostr. IV 44 narrat cum actis fratr. Arval. anni 66 p. 115 Henz.: 'proma]gister M. [Aponius Saturninus praeeunte L. Salvio Othone] Titiano propter — — — [et valet]udinem C[aesaris Augusti vota nuncupavit in C]apitolio.' Videmus igitur non ita malos fuisse Philostrati fontes, ut Schillerus in hist. Neron. p. 44 nobis persuadere conatur.

λαίωϲιν. Omnes enim Neronem matrem occidisse dicunt, quamquam ei imperium dederat, nemo addit 'quamquam ei lucem et vitam dederat mater'. Qua re persuasum mihi est non esse fortuitam congruentiam illam. Sumpsisse autem poetam dictum illud ex Iosepho incredibile est, immo idem utrique scriptori aliunde suppetiisse videtur. Mommsen[1]) Cluvium Rufum fontem esse Iosephi, quatenus res Romanae narrantur, coniecerat et quantum potuit, nam in huius modi quaestionibus certi aliquid nusquam fere dici potest, comprobavit; Bloch autem in libro, quem inscripsit 'die Quellen des Flavius Iosephus in seiner Archaeologie' (1879) p. 155, quaecunque ad historiam Romanam spectant, provenisse putat vel ex iis, quae ipse Iosephus Romae viderat et audiverat, vel ex iis, quae Alityrus, Epaphroditus, Agrippa amici cum eo communicaverant, etsi concedendum esse dicit auctores illius aetatis Iosepho fuisse notos. Usus est rerum scriptoribus ille sine dubio, ut elucet ex A. I. XX 8, 3 (= XX 154 N.). Sed quos ibi commemorat, quinam fuerint, non dicit. Adhibuit Iosephus praeterea ὑπομνήματα Vespasiani, quae saepius velut vitae 65 (342 N.), ib. 358 N., c. Apionem I 10 (56 N.) commemorantur. Adde causas a Mommseno allatas, quas hic retractare longum est. Veri simile igitur est fontem Iosephi fuisse Cluvium Rufum adducimurque, ut et Iosephum et poetam dictum illud de Agrippinae meritorum pretio transtulisse putemus e Cluvio.

Concludimus inde eas quoque similitudines, quas esse inter Tacitum et praetextatam docuimus, ad Cluvi Rufi historias redire. Num autem unum Cluvium et quatenus secutus sit, cognosci nequit, nam nimis et pauca et exilia Cluvi fragmenta sunt. Varietates autem earum rerum, quae in Octavia narrantur, a Tacito omnino nullae traduntur. Secundum Tacitum, nam verba XIV 9 '*haec consensu produntur,* adspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudaverit' eqs. non modo ad ipsam mortem, verum etiam ad naufragium Agrippinae pertinere veri simile est, omnes de Agrippinae extremo fato congruere videntur, re vera non consentire eos et fabula et Dio demonstrant. Facile autem cogitari posse de Fabio Rustico fabulae fonte, quem inclinasse ad Senecae amici laudes Tacitus XIII 20 tradit, concedo. Verum nusquam Seneca praeter ceteros laudatur, ne commemoratur quidem in tragoedia (nam versus 696 nihil valet) nisi in dialogo Neronis et Senecae v. 376—592. Cuius partis fontem non esse rerum scriptorem aliquem, sed Senecae libros philosophos post Farnabium Braun et Ladek exposuerunt. Quare necesse non est Fabio poetam usum esse putemus. Secutum autem non esse in conscribenda fabula poetam Plinii libros a fine Aufidii Bassi hoc puto certo dici posse, quod omina, quae Plinius[2])

1) in Hermae tomo IV p. 322 et 324.

2) De Plinio cf. Nissenum Rhen. Mus. tom. XXVI p. 497 sq., contra quem Detlefsen in Philologi tomo XXXIV p. 48 scripsit. Cf. Alfredum de Gutschmid litt. Centralblatt 1876 p. 1561.

magna cum fide et accuratissime conlegerat et conscripserat, in Octavia prorsus omittuntur, nam uno totius fabulae loco v. 230 sq. prodigia commemorantur. Accedit, quod de Claudio et Nerone quae in eiusdem scriptoris naturali historia legimus, parum similia sunt iis, quae Octaviae anonymus narrat. Adhibuisse autem Plinium in conscribenda historia naturali ipsius libros a fine Aufidii Bassi constat.

Quam ob rem unum Cluvium a poeta adhibitium esse persuasum habeo ut in re incerta. Quando autem scripserit Cluvius[1]) definire non possumus, nisi quod post Vitellii mortem videtur scripsisse libros vel edidisse. Reicienda igitur est Meiseri (histor. Dramen p. 18) sententia, qui cum ex aliis locis tum ex ultimo fabulae versu concludere voluit factam esse tragoediam anno trium imperatorum. Ceterum Meiseri dictum prorsus fictum esse etiam Ladek p. 94 cognovit eamque aliis causis sententiam impugnavit. Quia autem fabulae poeta libris historicis usus est, non scripsisse eum paulo post annum 70 veri simile mihi videtur esse. Nam si aequalis poeta tempora illa vidisset, rerum scriptorum libros, qui res tum gestas narrabant, certe neglexisset. Sed haec hactenus.

Cum satis dixisse nobis videamur de iis tragoediae partibus, quae res Claudio et Nerone imperatoribus factas referunt, oculos in eos locos vertamus, quibus res Romanae temporibus liberae rei publicae et prima imperatorum aetate gestae enarrantur. Mitto versus 291 sq., in quibus exempla pristinae virtutis Romanae afferuntur, nam Lucretia atque Verginia tritissima sunt exempla virtutis. Alio loco tractabo versus, quibus chorus mortem Gracchorum et Livii Drusi conqueritur ac deplorat.

Altercationis elegantissimae inter Senecam et Neronem fontem primarium esse Senecae libros philosophos iam supra Braunii et Ladekii argumentis nixi diximus; quod Augustus a Seneca mansuetudinis, a Nerone severitatis exemplum affertur, id locis libri Annaeani de clementia (I 9) explicari iam alii ut Ladek p. 78 viderunt, quamquam a Seneca res aliorsum vertitur atque in Octaviae fabula. Tamen omnia hoc modo extricari non possunt. Praeter Senecae libros philosophos[2]) et praeter fontes poeticos, qui in diverbio illo iidem sunt atque in ceteris tragoediae partibus, nisi quod Senecae tragoediae minus, Vergilius, Ovidius, Lucanus magis excerpti sunt, id quod in materia diverbii situm erat, ad describendum bellum civile historico usum esse poetam ut suspicarer, hac re adductus sum. Scimus enim illis

1) De Cluvio cf. Mommsenum in Herm. tom. IV p. 322, Nissenum l. l. p. 530. Recte uterque reiecit Nipperdeyi coniecturam Tac. hist. IV 39 'decessu' pro codicum scriptura 'discessu'.

2) Fuisse poetam rhetorum et scholasticorum arte imbutum, id quod ex ipsius tragoediae natura patet (cf. de ea re Ladekianae dissertationis caput III), etiam versus 498 'Brutus in caedem ducis, | a quo salutem tulerat, armavit manus' docet collato Seneca de benef. II 20 'disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere a divo Iulio vitam, cum occidendum eum iudicaret'.

temporibus, quibus Octaviam compositam esse veri simile est, Neronis et Flaviorum dico aetatem, carmina de bello civili in deliciis poetarum fuisse. Cuius generis carmen imitatum esse fabulae scriptorem ratus perlustravi Petronii et anthologiae (in Baehrensii poetis lat. min. IV nr. 72 et 73) carmina de bello civili. Frustra; hic et illic conspirant cum Octavia, non autem nisi iis locis, ubi uterque scriptor idem urguere debebat. Perlegi Lucani clarissimum carmen: sine dubio multa illius in primis colores rerum atrocium anonymus noster in suum usum vertit, tamen ne Lucanus quidem satis multum Octaviae affert lucis. Accedit, quod Lucanus Augusti et Antonii bellum, quod unum fere in Octavia enarratur, non tractavit.

Tum Ioannis Gerardi Vossii coniectura opinati olim Florum esse poetam Octaviae commotus Iulii Flori epitomen bellorum omnium de Tito Livio sumptam evolvi, quam cum perlegerem, multorum Octaviae versuum statim in mentem mihi venit. Ac primum quidem eos locos enotabo, qui de eadem re agunt:

Oct. 510 'exposita rostris capita[1]) caesorum patres
videre maesti; flere nec licuit suos,
non gemere dira tabe polluto foro
stillante sanie per putres vultus gravi'.

Cf. Flor. II 16 'nam Romae capita caesorum proponere in rostris iam usitatum erat; verum sic quoque civitas lacrimas tenere non potuit, cum recisum Ciceronis caput . . videretur', quem Flori locum excerptum esse e Livio fragmentum Livianum in Senecae rhetoris suasoriis VII p. 33, 12 Burs. = Hertz, Liv. IV 2 p. 232 nr. 48 (cf. Koecher, de Ioann. Antiocheni aetate fontibus auctoritate, diss. Bonnens., p. 13) servatum ostendit.

Octaviae verbis 515 'pavere volucres et feras saevas diu | tristes Philippi' respondent Flori verba II 17 'adsuetae cadaverum pabulo volucres castra quasi iam sua circumvolabant'. Ipsam sententiam in Senecae quoque tragoediis legimus; imitandos sibi proposuisse puto poetam versus H. F. 1208 'feras | volucresque pascens Caucasi abruptum latus', cf. Tro. 567, Thy. 750, 1032, Lucan. IV 810 'Libycas en nobile corpus | pascit aves', nunc autem uterque in eadem re describenda iisdem fere verbis utitur.

Oct. 523 'illic [in Aegypto] sepultum est impie gestum diu
civile bellum'.

Cf. Flor. II 21 'hic [in Aegypto] finis armorum civilium'. Mirum illum sepeliendi verbi usum inveni apud Velleium quoque Paterculum II 90, 1 'Sepultis . . bellis civilibus' (cf. Vell. II 82, 1 et 89, 3). Addo aliam similitudinem inter Velleium et fabulam: Oct. 914 'quis mea digne deflere potest | mala?' Vell. II 67, 1 'huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit'. Cf.

1) Cf. Lucan. VII 305 'et caput hoc positum rostris'.

Val. Max. IX 2, 1 'quem neque laudare neque vituperare quisquam satis digne potest'. Octaviae autem poeta sua e Senecae Herc. fur. 1227 'quis vos per omnem, liberi, sparsos domum | deflere digne poterit' sumpsisse videtur. Curtii verba IX 6, 8 'hoc Macedoniae columen ac sidus' imitatur Octaviae v. 168 de Britannico dictus 'modo sidus orbis, columen Augustae domus'; cf. Ov. Pont. III 3, 2 'o sidus Fabiae, Maxime, gentis, ades'.

Addam locos communes Octaviae cum Floro in rebus diversis.

Oct. 291 'vera priorum virtus quondam
Romana fuit'.

Flor. I 7 'tum igitur ... apparuit vera illa Romana virtus'. Cf. Lucan. II 532 'o vere Romana manus'.

Oct. 598 loquitur Agrippina:

'manet inter umbras impiae caedis mihi
semper memoria manibus nostris gravis
adhuc inultis'.

Flor. IV 6 'Caesarem inultus pater et manibus eius graves Cassius et Brutus agitabant'; quos locos iam Gronovius comparavit; adice Lucan. IX 64 'manus hoc Aegyptia forsan | obtulit officium grave manibus'.

Oct. 632 'quo vota ceciderunt mea?'

Flor. I 20 'aliorsum vota ceciderunt'. Quamquam concedendum est non ita graves esse similitudines, sufficere tamen videntur, ut aliquem concludamus conexum. Uterque ex eodem fonte hausisse mihi videtur. Florum e Livio sua sumpsisse maximam partem constat. Et pensitantes, quantopere poeta rerum scriptores in usum suum verterit, considerantes verum illum Romanum animum, qui in Octaviae fabula viget, facile adducemur, ut ipsum quoque Livii ultimos libros lectitasse putemus. Meiser histor. Dramen p. 40 conferri iubet versum 839 'malis domanda est [plebs]' cum Liv. II 54, 10 'malo domandam tribuniciam potestatem'.

Ubique igitur, id quod, quisquis fontes Octaviae poeticos et philosophos indagat, statim animum advertit, poeta ex auctoribus quibusdam pendet, quos tanta cum fide sequitur, ut suis viribus neque poetice quidquam formare neque res gestas, quas tangit, enarrare possit.

Caput IV.

De tragoediae Romanae in primis Annaeanae historia.

Conscriptam esse tragoediam ante Tacitum i. e. ante annum 115 vel 117, post annum trium imperatorum demonstravimus, quae temporis definitio generalibus argumentis quibusdam corroboratur. Post Hadrianum enim tragoediae artificiosae et nomine isto dignae Romae

non inveniuntur. Mimus et pantomimus poesin tragicam oppresserunt. Etiam comoedia desinit. Plerique ne sciunt quidem, quid sit tragoedia.[1]) Unica tragoediarum exempla ex illis temporibus servata, Medea Hosidii Getae et Orestis tragoedia, a Senecae tragoediis tantum abhorrent, quantum a Tartaro tristi polus. At contra ante Hadrianum floruit Romae musa tragica. Id demonstrant tot testimonia; perlegas si placet initium saturae primae Iuvenalis vel apud Martialem percurre tragicorum nomina, quae, quamvis pleraque ficta sint, tamen tum floruisse poesin tragicam ostendunt.

Gravissimus autem exeuntis primi saeculi tragicus, si Tacito fidem habemus, nam Quintilianus, ubi de tragoediae historia loquitur, eum praetermittit, Curiatius Maternus fuisse videtur, cui Ritter vir ceteris in rebus sobrio iudicio praeter ceteros, qui Octaviae operam dederunt, excellens vindicare fabulam voluit infirma atque vana nisus coniectura. Curiatium utrum secutus sit Octaviae poeta necne, diiudicari nequit.

Neque quidquam certi de Pomponio Secundo, quem eruditione ac nitore praestantem longe principem tragicorum sui aevi fuisse Quintilianus X 1, 98 iudicat, et Octaviae poeta dicere audeo, quoniam praeter pauca fragmenta, quae collegit Ribbeck scaen. Rom. poes. I^2 p. 233 et 286, nihil de Pomponii tragoediis scimus; quamquam non nego, id quod Buechelerus mihi in memoriam revocavit, miram Gracchorum laudem et pro illis temporibus inauditam, de qua post cap. VI disputabimus, facile nobis persuadere posse, ut scriptum esse Pomponii auctoritate laudem illam credamus. Tradit enim Plinius testis omnium de Pomponio integerrimus n. h. XIII 83, ubi de chartarum fabricatione agit, 'ita (i. e. omni adhibita cura) sint longinqua monumenta. Tiberii Gaique Gracchorum manus apud Pomponium Secundum vatem civemque clarissimum vidi annos fere post ducentos'. Fuisse ex gente Gracchorum Secundum inde colligimus. Hoc posito Octaviae poetam Pomponii auctoritate commotum esse ad Gracchorum laudem, facile etiam in ceteris rebus tragicis secutum esse nostrum poetam Pomponium putabimus. Sunt autem, quae tali obstare videntur sententiae. Memineris Quintilianum Pomponium summis laudibus efferre, Senecam tragicum, cuius vestigia noster accuratissime sequi solet, plane praetermittere, id quod mihi quidem tum demum recte iudicari et aestimari videtur, si cetera, quae de genere stili Pomponiani scimus, adiungimus. Tractarant enim secundum Quintiliani testimonium VIII 3, 31 Seneca et Pomponius in praefationibus, an 'gradus eliminat', sententia a Pomponio sine dubio adhibita, dici posset. Adde Pomponium, siquidem fas est grammaticorum testimoniis credere, antiquas et rusticas formas revocare voluisse in ser-

1) Cf. Guil. Cloetta, Beitraege zur Litteraturgeschichte des Mittelalters und der Renaissance I 1890 p. 1 sq. et Friedlaenderi hist. mor. II^6 p. 621 (ad p. 447).

monem si non cotidianum, tamen tragicum et elatum. Quibus de rebus conclusi adversarios fuisse quodammodo de genere scribendi Senecam et Pomponium. Cum autem Senecam eximia diligentia ubique poeta noster sequatur, veri dissimile mihi videtur esse usum esse eundem Pomponii tragoediis. Incerta autem esse haec omnia concedo.

Praeter Senecae tragoedias Ovidii tragoedia clarissima, cui Medeae titulus fuit (de qua cf. Leonem in observ. p. 148 et 166 sq.), usum esse poetam nostrum inde concludo, quod neminem poetarum, si Senecam omittimus, tam saepe adhibuit quam Ovidium, ut iure Ovidianum, non Vergilianum poetam appelles, quam differentiam factam esse a Romanis duo tituli docent, alter CIL. X 6271 = Wilm. 2480 Formiis repertus '. . .] Ovidianus poeta hic quiescit', alter Romae Wilm. 2481 'Silvano caelesti Q. Glitius Felix | Vergilianus poeta | d. d.'. Vergilium raro sequitur poeta noster et ita, ut eius versus e memoria repetiisse videatur. Nasonem autem hac quoque re Senecam secutus ita expressit, ut non modo saepius integra enuntiata ab illo sumeret, sed etiam ut duos de una re locos Ovidianos in unum componeret in chori cantico ultimo v. 973—983, quod imitatur Ovidii Trist. IV 4, 61 sq. et Pont. III 2, 60 sq., ubi de Iphigenia agitur. Sub finem autem saeculi primi etiam in manibus hominum fuisse et lectitatam esse Medeam Ovidii Tacitus iuvenis dial. 12 et Quintilianus X 1, 98 et VIII 5, 6 docent.

Veterum tragicorum, quos Senecam nosse et secutum esse F. Strauss in dissertatione Rostochiensi anni 1887 'de ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente' demonstravit, nulla in fabula nostra vestigia inveni, id quod ad tragoediae Octaviae naturam quadrat nullos archaismos, nulla vocabula pristinam latinitatem sapientia ut autumare clepere plicare similia continentis.

Octaviae autem scriptorem accuratissime sequi solere Senecae novem tragoedias apud omnes constat. Conferas syllogen amplissimam, quam Ladek inde a p. 52 composuit. Adicienda sunt pauca de ratione, quae inter Octaviam et Herculem, quem vocant Octaeum, est, cuius fabulae alii maiorem, alii minorem partem abiudicarunt a Seneca, quamquam nuper Melzer in programmate Chemnitziano anni 1890 iam supra commemorato[1]) universam Herculis Oetaei tragoediam a Seneca esse conscriptam acriter, sed non recte, puto, demonstrare studuit. Neque enim dubitari posse censeo secundum ea, quae Leo in observationibus suis p. 48 sq. et Ludovicus Tachau (Philolog. tom. XLVI p. 378 sq.) disputavere, quin altera certe tragoediae pars a Seneca abiudicanda sit. In proximo autem est arbitrari eum, qui post Senecae et, ut puto, Neronis mortem (cf. Leonem I p. 75 et 88)

1) Quem sequitur Alfonsius Steinberger, 'HO fabula num sit a Seneca scripta' in 'Abhandlungen aus dem Gebiet der klass. Altertumswissensch., W. v. Christ dargebracht' (Muenchen 1891), quam disputationem veloci tantum oculo perlegere potui.

tragoedias, quas singulas a Seneca editas esse Quintilianus VIII 3, 31 testatur, in unum corpus, cuius exemplar codex Etruscus est, collegit, et Phoenissarum scaenas duas coniunxisse Phoenissarumque nomine inscripsisse (cf. Leonem p. 82) et aut ipsum Herculis Oetaei scaenas Annaeanas (cf. Leonem p. 82) ita perfecisse, ut integra evaderet tragoedia, aut addidisse supplementa alterius, qui scaenas amplificaverat, etsi iam ante corporis editionem exemplaribus Herculis Oetaei Annaeanis addita esse supplementa talia dissimilius veri est. Videamus, num quid notitiae de editionis illius tempore e collatione Octaviae cum Hercule altero lucremur.

Id constat fuisse in manibus Octaviae poetae integrum illud Senecae tragoediarum corpus, cuius rei argumento sint hi loci, quos Ladekii et mea collectione adhibita composui ita, ut prior numerus Herculis Oetaei versum, posterior Octaviae indicet: HO 115: Oct. 324; 292 et 1691: 760; 339: 264 et 822; 417: 501; 478: 691; 602: 844; 717: 74; 909: 863; 937: 170; 1022: 962; 1065: 966; 1103 et 1132: 392; 1507: 646; 1707 et 1711: 134 (cf. Tro. 519 sq.); 1805: 636; 1940 et 938: 396 (cf. tamen Ov. her. IV 132, Prop. II 32, 52). Gravissima autem similitudo duarum fabularum haec est: V. 914 sq. Octavia, ut in philomelam commutetur, optat:

‘quis mea digne deflere potest
mala? quae lacrimis nostris questus
reddat aedon? cuius pennas
utinam miserae mihi fata darent!
fugerem luctus sublata meos
penna volucri procul et coetus
hominum tristes caedemque feram.
sola in vacuo nemore et tenui
ramo pendens querulo possem
gutture maestum fundere murmur’.

Idem in Hercule Oetaeo inde a v. 199 Iole, cuius cantico poeta noster non modo hoc, verum etiam aliis locis usus est, optat:

‘fugit vultus Philomela suos
natumque sonat flebilis Atthis [Ityn A],
cur mea nondum capiunt volucres
bracchia plumas? felix, felix,
cum silva domus nostra feretur
patrioque sedens ales in agro
referam querulo murmure casus [questus A]
volucremque Iolen fama [turba A] loquetur’.

Sumpsit autem eius partis poeta, seu Seneca seu alius, ad Iolae questum sua ex Agamemnonis Annaeanae cantico 664 sq., ubi chorus de aedone dicit

'non quae verno mobile[1]) carmen
ramo cantat tristis aedon
Ityn in varios modulata sonos' eqs.

quae verba apte iis, quae Euripides in Phaethonte (cf. Wilamowitz in Herm. tom. XVIII p. 402) chorum loquentem facit:

μέλπει δ᾽ ἐν δένδρεσι λεπτὰν ἀηδὼν ἁρμονίαν
ὀρθρευομένα γόοις Ἴτυν Ἴτυν πολύθρηνον,

respondent, ut hoc loco paene in latinum versum a Seneca Euripidem agnoscamus. Ceterum canticum Graecum matutinum universum

---

1) V. 670 E mobile, A nobile tradit; lectionem recensionis Aldinae falsam esse Euripidis verba λεπτὰν ἁρμονίαν et magis docent ipsius verba 'varios sonos'. Ante oculos nondum fuisse poetae recensionis tragoediarum deterioris exemplar, id quod ipsa res ostendit, haec quoque demonstrare possunt. HO 478 Nutrix: Quid istud est, quod esse secretum petis? A iubes. cf. Oct. 691 . . 'quidve secretum petis?' Etrusci igitur lectionem Octaviae poeta sequitur. HO 409 cur [E, quid A] tuas damnas manus? Cf. Oct. 863 'cur meam damnas fidem?' — Addere libet pauca de codicibus nonnullis Octaviae. Cave, ne codicem Guelpherbytanum 331 (366) Helmstadiensem s. XV chartaceum melioris recensionis rivulum esse putes, ut est facile ex catalogi Heinemanniani verbis (tom. I p. 273) 'es sind sämtliche Tragoedien Senecas ausser der Octavia' suspicari, nam typothetam errore pro 'nebst' posuisse 'ausser' ipse catalogi scriptor comiter mecum communicavit. Codex deterrimorum in numero videtur esse. Titulo hoc fabula inscripta est in codice Lugdun. Batav. XVIII 16 E s. XIV membranaceo, de quo cf. Peiperianae editionis praef. p. XXIX: 'incipit octa[i]va eiusdem seu claudius ymo nero in populum romanum'. Ceteris in codicibus eiusmodi nihil inveniri Leo eximia qua est benevolentia mecum communicavit, nisi quod in cod. Neapolitano IV D 48 legitur 'incipit tragedia nona neronis'. Unde mirus titulus cod. Batavi? Ac primum quidem discerpsisse mihi videtur scriba vel quisquis titulum primus tragoediae praeposuit, nomen Neronis 'Ti. Claudius Nero' in Claudii et Neronis nomina. Quare interpolatum esse 'immo' illud censeo. Unde autem 'in populum Romanum' additamentum prorsus ineptum? Recte vidit Buechelerus, qui verba 'imp. R.' i. e. 'imperator Romanus' ab homine stolido ita putat esse depravata. Restituendus videtur esse titulus sic fere 'Claudius Nero imperator Romanus', quibus verbis respondet Neapolitanus titulus 'tragoedia Neronis'. Simile scribae vitium inest in vita Tibulli Suetoniana (v. in Baehrensii ed. p. 88): 'Albius Tibullus eques regalis', quae verba Baehrens Tibull. Blaetter p. 4 sine ulla iusta causa orta esse putat ex 'A. T. eques R. e Gabiis'. Scriptum erat 'eques R.'. R litteram supplevit aliquis in 'regalis' pro 'romanus'. Vereor autem, ne titulus ille Octaviae antiquitus traditus non sit, immo additus medio vel potius renascentium litterarum aevo. Cf. quae de titulis variis Senecae apocolocyntosis Buecheler (symb. phil. Bonn. p. 35) dixit. — Quodsi Ioannes Huemer in commentatione 'aus mittelalterlichen Buecherverzeichnissen' in stud. Vindobon. tomo VII p. 329 e verbis catalogi monasterii St. Amandi ('Elno') s. XII (Bekker p. 232 nr. 72) 'Marius Plotius de metris cum proverbiis Senecae et cum ludo ipsius de morte Neronis' elicere conatur Octaviae fabulam, falsus est. Apocolocyntosin Senecae dici patet, id quod codex ille nunc exstans demonstrat (cf. Buecheleri Sen. apoc. ed. in symb. phil. Bonn. p. 73 nr. 2). Ceterum in ipso codice legitur 'de morte Claudii Neronis'.

Seneca imitatus est Herculis Furentis versibus 125 sq., quibus chorus diei initium cantat.

Quod autem Octaviae poeta tanta cum industria et diligentia Senecam sequitur, definiendi temporis, quo conscripta sit praetextata, circulum paulo angustiorem facere possumus. Nam perlustrantes aevum Taciteo superius si quaerimus, quando potissimum eius modi tragoedia oriri potuerit, meminerimus non ita multis annis post Senecae mortem reluctari homines coepisse huius auctoritati nisos inprimis adversus Senecae genus dicendi. Cf. Lucianum Muellerum in Iahni ann. tom. 89. 1864 p. 420 sq. Omitto Frontonianos, quorum iudicia acerbissima de Seneca collecta habes in Teuffelii hist. litt. Rom. § 288, 1. Iam Quintilianus[1]) adversarius acer Annaeani stili exstitit (inst. or. X 1, 125—131). Editam esse institutionem oratoriam anno 96 Fridericus Vollmer in Rhen. Mus. tom. XLVI p. 343 sq. demonstravit. Neque est, cur putemus a Quintiliano Senecam pedestrem scriptorem damnatum, poetam non damnatum esse. Dubitari quidem potest, num loco illo celeberrimo de Senecae tragoediis dixerit. Legimus enim 'tractavit etiam omnem fere studiorum materiam: nam et orationes eius et poemata et epistulae et dialogi feruntur'. Et Bonnellius et Peterson in editione libri X negant 'poemata' pertinere ad tragoedias. Sed vix aliorsum verbum illud spectare potest[2]), nisi Quintilianum sola epigrammata, quorum nonnulla in anthologia Senecae nomine inscripta circumferuntur, significasse putabimus, tragoedias plane praeterisse, quamquam eo quoque institutionis loco (X 1, 97—100), ubi tragicos poetas Romanos enumerans veteres Accium et Pacuvium, recentiores Varium Ovidium Pomponium nominat, cui iudicio Taciti dial. 12 conferas, plane is, quem nos summum tragicum primi post Christum saeculi habemus, Seneca neglegitur. Quod silentium ex ipsius Quintiliani verbis X 1, 125 'ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli' eqs. non plene expeditur, nam in hoc quoque Senecae iudicio tragoediae nisi generali poematum voce comprehensae non commemorantur. Apparet Quintilianum non modo libros prosa oratione scriptos, sed etiam tragoedias damnasse. Neque poterat tragicus Seneca separari a philosopho, nam in utroque idem 'corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus' invenimus. Quam ob rem veri simillimum est iam in libro deperdito, quem anno 92 professor ille eloquentiae de causis corruptae eloquentiae scripserat, Senecam poetam quoque tractatum esse.[3]) Iam locus ille oratoriae

1) De Quintiliano Senecae iudice egregie disputasse mihi videtur Peterson Quintil. lib. X (Oxoniae 1891) praefat. p. XXIV—XXVIII.

2) Item indicat Alfredus Pais, il teatro di Seneca, Turini 1890, p. 5.

3) Verba X 1, 125 'quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo' aperte demonstrant iam in libro de causis corruptae eloquentiae Senecam vehementissime vituperatum et iudicatum esse. Cf. dissertationem Gottingae a. 1884 ab A. Reutero de libro illo scriptam p. 28 sq. Recte Ladek p. 75 'propter mirum illum in omnibus rebus consensum (inter Senecae tragoedias

institutionis declarat Senecam anno 96 expulsum fuisse e manibus legentium. Cf. § 125 'tum autem solus hic fere in manibus adulescentium fuit' et § 126 'quem non equidem omnino conabar excutere' ut omittam alios locos.[1]) Num putabimus Octaviam, cuius unaquaeque fere vox e Senecae non modo tragoediarum[2]) verum etiam philosophorum librorum thesauro deprompta est adeo, ut quasi pusillus Seneca poeta appareat, factam esse, postquam a Quintiliano omnibus Annaeani stili vitia patefacta sunt?

Quare persuadebimus nobis post annum 92 praetextatam eius generis conscribi non potuisse Romae.

Caput V.

De hominum domus Augustae appellationibus, quibus poeta utitur.

Accurate perlustrantes titulos, quos poeta personis, quas loquentes facit, attribuit, statim cognoscimus rectissime suos cuique personae titulos dari. Nego autem potuisse poetam posterioris aetatis, qui imperatorem 'dominum et deum', eius uxorem 'dominam et Augustam' appellare consuevisset, tam pure et munde titulos exprimere aevi Claudiani et Neroniani.

Iam supra adversus Schillerum Octaviam non fuisse Augustae titulo ornatam diximus. Hisce in rebus plane abicienda sunt Graeculorum testimonia, nam in orientis provinciis longe aliam rationem Caesarum cultus fuisse ac Romae et in provinciis latine loquentibus nemo nescit. Quis unquam audivit Agrippinam aut Messalinam divas appellari? Tamen in nummo Corinthio (Cohen monn. I^2 p. 272 nr. 8) legimus DIVA AGRIP · · · · AVGVSTA.[3]) Messalina in nummis

---

et Octaviam) tutius est statuere Octaviam non multo post Senecae mortem compositam esse. quod Quintilianus Inst. or. X 1, 125 de Seneca in universum dicit, eum fere in adulescentium manibus fuisse, id quin ad eius tragoedias potissimum referendum sit, non dubito'.

1) Conferri iubet Peterson praef. p. XXVIII Suet. Calig. 53 'lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam *tum* maxime placentem commissiones meras componere et harenam esse sine calce diceret'.

2) Rectissime Ladek de imitatione Senecae observavit p. 74 sq. Octaviae poetam nullum versum integrum ex illius fabulis mutuatum esse. 'sunt fere Senecae verba, quae in hac fabula leguntur, verborum coniunctiones eaedem sunt . . . ., idem color. quot in Octavia et aliis tragoediis versus ab iisdem verbis incipiunt, quot iisdem finiuntur' eqs. Octaviae poeta adeo Senecae genus dicendi, colores, formulas, elocutionem recepit, ut eius fabulam non imitationem stolidam, quali alterius Herculis Oetaei partis poeta (cf. Leo p. 51 sq.) vel Boethius Senecae locos imitati sunt (cf. Ladek p. 75), sed potius re vera Annaeanam fabulam appellare possimus.

3) De Agrippina in Asia Cereris nomine culta cf. Kaibelium in Eph. epigr. II p. 8 sq.

Graecis etiam θεὰ cεβαcτὴ nominatur (Cohen ib. p. 269), in nummo Nicaeensi, quem cudit Γ. Κάδιος Ῥοῦφος ἀνθύπατος, legitur Μεccαλεῖνα cεβαcτὴ νέα Ἥρα (Coh. ib. p. 268), etsi Dio dilucide narrat Messalinae Augustae nomen non esse datum LX 12: [Κλαύδιος] οὔτ' Αὔγουςτον αὐτὸν [Βρεταννικὸν] ἢ τήν γε Μεccαλῖναν Αὔγουςταν ἐπικληθῆναι ἐφῆκεν. — Item ut de Agrippina et Messalina iudicandum est, si in nummis Teiis Octavia θεὰ et cεβαcτὴ nominatur. Schiller in Neronis hist. p. 312 nixus iis nummis, quos Eckhelius (doctr. numm. vet. tom. VI p. 285) descripserat, Octaviae fuisse titulum Augustae contendit. Numismata Graeca omittenda esse vidimus. Describit autem Eckhel nummum, cuius in anteriore parte Octavia velata stat ante aram circumscriptis verbis 'Octavia Augusta', in altera parte 'Agrippina Aug.' legitur. Frustra id aes in Coheni nummorum descriptione quaesivi. In ceteris Octaviae monetis (Coh. p. 312 sq.) quod legitur OCTAVIA AVG., explendum est ita AVGVSTI, cf. Coh. p. 313 nr. 1 'Nero Clau. Caes. Aug. Imp. Octavia Augusti'. Cassium Dionem sui aevi appellationem transtulisse in aevi Neronei homines apparet, nam Xiphilinus LXII 13 et Zonaras tom. III ed. Dindorf. p. 39 uterque Octaviae mortis narrationem sic exorditur ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ ὁ Νέρων Ὀκταουίαν τὴν Αὔγουςταν ἀπεπέμψατο. A nullo autem rerum scriptore Romano Octaviae is titulus attribuitur neque in inscriptionibus Augusta appellatur. Octaviae re vera titulum hunc non fuisse testantur acta fratrum Arvalium. In actis anni 59 traditur 'L. Píso . . . . vota nuncupavit pro salúte Neronis . . . et Octaviae coniugis eius.' Eodem die annorum 60 et 61 (Henzen Act. fr. Arv. [Addenda] p. 237) pro salute Neronis et 'Octaviae coniugis eius' immolatur. Nusquam in fabula Octavia Augusta appellatur.[1])

Neque Poppaea in fabula Augusta appellatur, quae anno demum 63 (Tac. XV 23) Augustae, anno 65 post mortem divae titulum adepta est. Rectissime autem Agrippinae bis v. 328 et 748 Augustae titulus datur ipso nomine feminae non adiecto

v. 328 'scindit vestes Augusta suas'
et v. 748 'fax illa,, quam secuta es, Augustae manu
praelata' eqs.

Cui rei fortasse respondet, quod 'domina' una Agrippina appellatur v. 352 et 367.[2])

1) Quodsi compluriens altera Iuno nominatur, quia Neronis et uxor et soror est (v. 219, 535, 282), comparari potest, quod de sorore L. Silani in ludo de morte Claudi Seneca dicit VIII 2 'L. Silanum enim generum suum occidit. oro, propter quid? sororem suam festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocabant, maluit Iunonem vocare'.

2) Quanta fuerit Agrippinae potentia, optime scit poeta, ut e v. 156 'ausa est imminere orbis imperio sacri' et in primis e v. 952 'quid, cui licuit regnum in caelum | sperare, parens tanta Neronis?' videmus. De Agrippinae potentia cf. Mommseni roem. Staatsrecht II 2^3 p. 788 adn. 4, p. 807 adn. 1, p. 821 et 831.

Tragoediam illis temporibus adscribendam non esse, quibus imperatorum appellatio usitatissima erat 'dominus', inde quoque concludo, quod nusquam quisquam in fabula dominus[1]) nominatur.

Clarissime[2]) autem conscriptam esse fabulam primo saeculo Claudii imperatoris titulus docet.[3]) Scimus e rerum scriptoribus Claudium mortuum inter divos relatum esse a Nerone filio adoptivo.[4]) Cf. Suet. Ner. 9; Tac. XII 69 XIII 2, Dion. LX 35, Eutrop. VII 13.[5]) Unus autem Suetonius plura de historia tituli illius tradidit Claud. 45 '[Claudius] funeratus est sollemni principum pompa et in numerum deorum relatus, quem honorem a Nerone destitutum abolitumque recepit mox per Vespasianum'. Secundum id Suetonii testimonium, qui auctor, etsi non nunquam falsa sunt, quae tradit, tamen a nullo consulto falsa prodidisse coargutus est, cui eam ob causam plerumque fiducia debetur, Nero aliquo modo seu senatus consulto seu privato iussu consecrationem Claudii sustulisse videtur. Sic omnes, qui eum Suetonii locum tractaverunt, interpretati sunt. Vide quae dixere Mowat l. l. p. 222, Beurlier p. 33, Hirschfeld l. l. p. 841 'die Apocolocyntosis

1) De eo titulo cf. Friedlaenderi hist. mor. Rom. I⁶ p. 443, Eckhelii doctr. numm. vet. VIII p. 364, Schoener, d. Titulaturen d. roem. Kaiser in Actis sem. Erlang. II p. 474 sq.

2) Adductus sum, ut ea, quae secuntur, exponerem, Buecheleri brevi eius rei significatione, quam in collegio, quo grammaticam latinam tractare solet, audivi. Quoniam autem nusquam quidquam eius rei in virorum doctorum libris inveni, supervacaneum esse non putavi, quae ego de eius tituli fatis inveneram, publici iuris facere.

3) Claudium vivum divinum principem appellatum esse acta Arvalium docent, secundum quae IIII Kal. Iul. annorum 50—54 in Capitolio vota nuncupantur pro salute Neronis in ea verba: '[Iu]ppiter optime maxime, te pr[ecamur quaesumusque, uti] | [t]u Neronem Claudium subo[lem Agrippinae Aug., Ti. Claudi Caes. Aug. Germ.] | [d]ivini principis parentisque [publici filium, principem iuventutis, salvom incolu] [m]emque conserves' eqs. Conferas titulum Puteolanum CIL. X 1558 '[Fortunae pu]blicae · sacrum | [? ministra]e · sacerdoti · di[vini] | [nostri im]peratoris · Ti. Claud[i Dru] | [si f. Caes . Aug]usti · Germanici · pont[ificis] | [maximi tr. pot. V]I · cos. III · design. IIII · imp. XII · p. [p.].' p. Chr. 46. Cf. de ea inscriptione Hirschfeld 'Zur Gesch. des roem. Kaisercultus' in actis acad. Berolin., 1888 II p. 843 adn. 48. De Claudio vivo divinis honoribus instructo cf. Alfr. Fincke, de appellationibus Caesarum usque ad Hadriani aetatem (Regimonti 1867) p. 25.

4) Nero ab Octavia v. 249 'Nero insitivus, Domitio genitus patre' nominatur. Sic olim correxit Lipsius. Eckhelius autem (doctr. numm. VIII p. 466) et Spanhemius (de praest. et usu numism. p. 651) cum veteribus 'Nero ipse divo Domitio g. p.' legentes Domitio patri a Nerone honores caelestes adiudicatos esse putabant, quos secuti sunt Robertus Mowat in bulletin épigraphique tome V 1885 p. 229 sq. et René Cagnat in 'cours d'épigraphie latine' 1889² p. 166. Hirschfeld l. l. p. 847 adn. 6 tandem nugas illas explosit. Cf. Beurlier, culte des empereurs p. 35.

5) De Claudi consecratione cf. Eckhelium d. n. VI p. 244 sq., qui nummis nisus pro isto aevo accurate eam rem exposuit et Marinium, Atti degli Arvali p. 112 et quae Gaston Boissier, la relig. rom. I p. 194 exposuit. Claudi titulos et nummos eximia composuit diligentia olim Lehmann, Claudius und Nero 1858 tom. I in appendice.

ist sicherlich aus Anlafs der von dem kaiserlichen Zoegling Senecas vollzogenen Cassierung der vom Senate decretierten Apotheose des Claudius veroeffentlicht worden' (sequitur Suet. Claud. 45). Destituisse Neronem Claudii consecrationem, si re vera destituta est, post matricidium putabimus, nam vix ausus esset Nero viva matre tale quid facere. Proferre poterant illi, qui veram esse Tranquilli narrationem putabant, alterum Suetonii locum Vesp. 9. '[Vespasianus] fecit et nova opera templum Pacis ..... divique Claudi[1]) in Caelio monte coeptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum', nam cohaerere artissime divi Claudi cultus destitutionem et templi destructionem verisimile cuique videbitur esse. Restituit, neque ego dubito, quin vera sint, quae Suetonius narrat, templum Vespasianus. Vespasiani autem inscriptiones ad Claudium spectantes eum divum appellant, senatus autem consultum initio imperii Vespasiani decretum de imperio Vespasiani, Augusto divinos tribuit honores, Claudio negat. Qua ex re concludere illi poterant re vera usque ad id tempus, quo Vespasianus divi Claudi templum restituit, eius cultum atque venerationem cessasse. Tertium fortasse firmamen sententiae suae illi invenire poterant in ipsa Octavia; versu enim 241 sic Octaviam exclamantem facit poeta de Nerone

'hic hostis deum
hominumque templis expulit superos suis
civesque patria',

quae verba alludere posse ad divi Claudi cultum abolitum aut templi destructionem, quis est, qui neget? Fortasse autem etiam ad aliam rem pertinent, quam nos quidem nescimus, nam religionum usque quaque contemptorem fuisse Neronem Suetonius Ner. 56 tradit. Omnes autem causas, quas adversus memet ipse protuli, ipsa documenta aetatis Neronianae et anni trium imperatorum ad Claudium spectantia refutant atque velut monetas falsas reprobant. Si re vera Claudii honor divinus abolitus atque destitutus esset a Nerone,

1) Templum divi Claudi a Frontino de aquis u. R. I 20 et II 76 commemoratur et in inscriptione CIL. VI 10251 *a* iam a Marinio laudata 'D. M. s. T. Flavio · | Aug. lib. Trophimo · constitu | tori · collegi · numinis · dominorum | quod est · sup templo · divi · Claudi | qui · vixit · annis · LXXXVII · v(ale) · v(ale) · v(ale) | aliquando · securus · sum'. De huius templi situ v. Gilbert, Gesch. u. Topographie von Rom 1890 III p. 124. Num Aurel. Victor Vesp. § 7 '[a Vespasiano] Romae Capitolium, quod conflagrasse supra memoravimus, aedes Pacis, Claudii monumenta, amphitheatri tanta vis, multaeque aliae, ac forum coepta ac patrata' et Epit. IX 8 'Capitolium, aedem Pacis, Claudii monumenta reparavit multaque nova instituit' (iisdem verbis utitur historia miscella ed. Eyssenhardt p. 197, 19 sq.) ad divi Claudi templum renovatum spectet, mihi quidem valde dubium est. Ego Torrentio ad Suet. Vesp. 9 adstipulor, qui in primis aquam Claudiam intellegere vult, quam restituit Vespasianus, vide titulum p. 52. — Templum divi Claudi in Britannia a Tacito XIV 31 et Seneca apocol. 39 commemoratur.

vestigia eius quasi damnationis, quae post consecrationem a senatu decretam nisi senatus consulto fieri non poterat, ubique animum adverteremus et in Taciti libris totum fere Neronis imperium complectentibus et in inscriptionibus eius aevi. Unius autem Suetonii testimonio certo ea res nititur.

Inspiciamus acta fratrum Arvalium. Divo Claudio una cum divo Augusto et diva Augusta, postea Claudia Neronis filiola et Poppaea consecratis etiam una cum diva Claudia et diva Poppaea a fratrum Arvalium magistro immolatur, quoad id e tabulis inde ab anno 60 lacunosis cognosci potest, III. non. Ian. annorum 57 58 59 60, IX. Kal. Iul. anni 59, IV. et III. Id. Oct. annorum 58 59 66, incerto die annorum 57 61 66. Per universum igitur Neroniani imperii tempus ab Arvalium collegio amplissimo et honestissimo et in titulis hominum cautissimo ac prudentissimo Claudio divini honores attributi sunt.

Divus Claudius ab aliis quoque seu privatis seu collegiis seu civitatibus colitur Nerone imperatore. Eodem fere tempore, quo senatus moneta aurea in Coheni sylloge I^2 p. 253 nr. 31 'Divus Claudius Augustus'. ℞ 'Ex · s. c.' quadriga cum Victoriis[1]), orbi et urbi Claudii consecrationem nuntiavit, incisum esse titulum CIL. III 1947 = Wilm. 900 Salonis Dalmat. repertum ipsa inscripta docent:

I. o. m. et | dIvo · Claudio · Caesar[i] | Aug. German. trib. pot. XIIII | P. Anteius · P. Antei. Syri. l | Herma. IIIIII · vir . et · Aug(ustalis) · | porticum · v. s. l. m. loc. accep̄. d. d.,

quo de titulo posito anno 54 cf., quae Wilmanns ei adnotavit collato simili divi Traiani titulo Wilm. 936 anni 117, cuius ipsius anni mense Augusto vita decesserat Traianus. Cf. etiam titulum CIL. II 963, quem post adscribemus, et nummos apud Coh. p. 311 nr. 1—3.

Qui secuntur huius generis tituli, eos certo anno attribuere non possumus, quin autem Nerone Caesare conscripti sint, nemo dubitabit.

CIL. VIII 1015 (Carthagine rep.)

Divo Claud[io] | vivas in deo

'Apparet monumentum antiquius christiana aetate in titulum sepulcralem mutatum esse.' Titulus fortasse ad Claudium Gothicum referendus est.

CIL. X 7281 (Panormi, literis aetatis sequioris)

Divo Claudio | res p. Panhormit

CIL. XII 641 (in agro Arelatensi rep.)

Divo Claudio | ex testamento | L. ValerI | Placidi

Bullet. 1853 p. 14 Lehm. nr. 407 (Romae rep.)

Imp. Divus Clau|dius Drusi f.

Cetera, quae ad divi Claudi sacra pertinent, post tractabimus.

Vix autem adhuc me satis comprobasse puto sententiam meam, non sustulisse Neronem divi Claudi consecrationem. Quare nova

---

1) Cf. nummos provinciales Coh. I^2 p. 267, 8 et p. 309 nr. 431—433 Corinthi et Ptolemaide Galilaeorum cusos.

argumenta aggeranda sunt. Neque desunt. Quem ad modum Tiberius imperator divi Augusti filius, divi Iulii nepos in inscriptionibus nominatur, sic Nero quoque patris avi proavi abavi nomina suo adiunxit, ut pleno nomine nominetur 'Nero Claudius divi Claudi filius, Germanici Caesaris nepos, Ti. Caesaris Augusti pronepos, divi Augusti abnepos, Caesar Augustus Germanicus' eqs. Non modo in inscriptionibus, sed etiam in nummis sic Nero appellatur. In nummis plenior quidem tituli forma non invenitur, sed unum patris nomen adiectum nomini Neronis. Saepe sic in nummis, plerumque in quibus ipse cum alia domus Augustae persona coniungitur. Enotavi e Coheni collectione nummorum haec exempla:

I. Coh. p. 311 nr. 1 Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germ. ℞ Divos Claud. August. Germanic. pater Aug(usti).
p. 311 nr. 2 et 3 item.
p. 266 nr. 1—3 similiter.

II. Coh. p. 275 nr. 1 et 2 Agrippina Augusta mater Augusti ℞ Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germani.
nr. 3. 4. 6. 7 Nero Claud. etc. ut supra ℞ Agripp. Aug(usta) divi Claud.[,] Neronis Caes. mater [;] ex · s. c.

In nummis illis, in quibus unus Nero depingitur, raro Nero se divi Claudi filium appellat:

Coh. p. 280 nr. 32 Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germani. ℞ Armeniac. Victoria palmam gerens. Caesareae Cappadocum ortus? a° 58?[1])

Coh. p. 301 nr. 336 Nero divi f. Caes. Aug. p. m. tr. p. II ℞ Vict. Aug. — a° 55.
p. 302 nr. 351 et 352 Nero Claud. divi Claud. f. Caesar Aug. Germani. ℞ sine verbis. Victoria. Nummus in Asia cusus.

Quonam tempore nummi illi orti sint, certo dici nequit. Tamen, quos sub I complexus sum, non ita multo post obitum patris cusos esse ipsa res demonstrat. Nummos, in quibus Neronis et Agrippinae Augustae nomina coniuncta videmus, primo Neronis anno factos esse Mommsen roem. St.-R. II[1] p. 779 demonstrat.

In inscriptionibus haec Neronis tituli exempla inveni. Ac primum quidem ea afferam, in quibus plenior tituli forma invenitur ut in miliario CIL. X 8014

A Turre XVI (m. p.) | Imp. [Ne]ro [Claudius] divi | [C]laudi · f. [Ger]manici | [Caes]aris · n. [Ti.] Caesaris | [pron. di]v[i Aug.] abn | [Caes]ar A[ug. G]ermanic | [pont. max. trib. p]otes[t.] XIIII | · · · · · [imp.] XII ·

Scriptus est anno **55** titulus CIL. II 4719, **57** II 183, 1281 (mutil.), 4734, **57/58** II 4884, **55—57** III 382, **58** VII 12, XII 5459, de Villefosse, inscriptions de Fréjus 1884 nr. 67, **58/59** III 346, **54—58**,

1) His de nummis cf. v. Sallet, Ztschr. f. Numism. XIV 1877 p. 316.

II 1392 (mutil.), **60** III pag. 845 diploma veteran. alterum, **61** III 6123, **62/63** II 4888, **66** XI 1331, 1332, **67/68** X 8014; incertis Neronis annis scripti sunt tituli CIL. II 184, 4926 (mutil.), 4928 (mutil.), VI 925.

Divi Claudi filius non additis verbis 'Germanici Caesaris nepos' eqs. nominatur Nero in inscriptionibus his:

CIL. IX 4115 (Aequiculis rep.)

Imp. Caesar | divi · Claudii | f. August. Ti | Neroni | pontif. max | trib. pot. IIII · con. III | d. d (anno 58/59).

CIL. X 5171 (Casini rep.)

Neroni · · · · · | Claudio [divi f.] | Caesari · [Aug.] | Ger. pont. [max.] | tr. pot. XIII · [imp.] | VIII · cos. IIII · [p. p.] | L. Stenius Sil. · · · · · | ex · testamento (anno 66).

Addo eos titulos et nummos, in quibus divus Claudius adhibetur ad nomina Agrippinae, Antoniae, Octaviae.

Coh. I^2 p. 275 nr. 1—4. 6. 7 (v. supra) 'Agrippina divi Claudi'.

CIL. X 5185 (Casini rep., supplementa incertissima sunt)

Agrippin]ae divi Claudi | · · · · · cus accensi divi · | [Claudi A]ugustales

v. 1 [Agrippin] supplevit Mommsen in indice corporis tomi X, v. 3 [Claudi] ego.

Agrippinae titulos numen infestum insequi videtur. Habemus titulum Aruccitanum provinciae Baeticae CIL. II 963, quem e variis antiquioribus apographis sic restituit Aemilius Huebner: 'Iuliae ·
neronis
Agrippinae · ////////// | Caes. Aug. Germanici | matri · Aug. n | civitas · Aruccitana' Neronis nomen consulto erasum esse ratus. Mommsen autem 'propter „Augustae nostrae" titulum hac aetate' — ante annum 59 scriptum esse titulum patet — 'insolitum et matris vocabulum nominibus Neronis postpositum neque ita, ut hoc loco legitur, avellendum ab eo, quod sequitur Aug. n.' mavult sic fere: 'Iuliae Agrippina[e divi Claudi] Caes. Aug. Germanici matri Aug(usti) n(ostri) civitas Aruccitana', quam tituli restitutionem probo. Conferas quae supra p. 41 de divorum titulis adnotavi ad CIL. III 1947.

Bull. della commiss. arch. com. XIV 1886 p. 302 nr. 1328 (Romae rep.)

Agrippina [Aug] | divi · Claud[ii] | Germanic[i] | Caesaris · (uxor).

Antoniae titulum inveni CIL. VI 14959 (Romae rep.)

DIs Mánib | Claudiae | Eglecte | Antoniae dívi | Claudi f. delicio | piIssimae · et · b. m | v. a. VI · m. I · d. VIIII | Threptus Ecloge | parentes fec.

Divum Claudium in Octaviae titulis reperi in nummo apud Coh. p. 313 nr. 4 descripto: · · · · · DIVI F · · · CO · O · II · VIR · COR(inthi) · ℞ NER · · · · et in inscriptione

CIL. VI 9015 (Romae rep.)

Claudia · Octaviae · divi · Claudi · f. lib. Peloris | et · Ti. Claudius · Aug. lib. Eutychus · proc. Augustor | sororibus et · lib. libertabusque posterisque eorum | formas · aedifici · custodiae · et · monumenti · reliquerunt.

Ex exemplis tot congestis hoc certissime discimus Neronem nunquam desiisse se divi Claudi filium nominare. Qui autem is, qui divi Claudi honorem caelestem destituit et abolevit, semet ipse divi Claudi filium appellare potest? — Sequantur ceteri divi Claudi tituli, quos Nerone imperatore insculptos esse aut certum aut veri simillimum est.

CIL. VI 1331 (Romae rep.)

M'. Acilio C. f. · · · · | quaestori · divI · Cl[audi · · · · procos] | provinciae · Narb[onensis · · · · ·] | s · · · · sodali [Augustali].

Borghesi opp. II p. 137 adstipulantibus Liebenam (roem. Verw.-Gesch. I p. 246) et Waddington fast. p. 139 tribuit M'. Acilio Aviolae cos. a. 54, procos. Asiae 65/66, 74—77 curatori aquarum. Henzen cogitabat de Acilio Strabone (cf. Tac. XIV 18).

CIL. IX 3602 (Aveiae Vestinae in colle, qui imminet Monticulo rep.)

P. Tebanus · P. f. Quir | Gavidius · Latiaris | quaestor | divi · ClaudiI · tr. pl. pr | per · omnes · honores | candidatus · Augustor | Feroniae

CIL. VI 1442 (Romae rep.)

L. Licinius · · · · adlec[tus a divo] | Claudio · inte[r quaestorios] eqs.

CIL. XII 5842 (Vasione rep.)

Vasil [L pro E]ns · Voc | patróno | Sex. Afranio · Sex. f · | Volt. Burró | trib. mIl. proc(uratori) · Augus|tae · proc. TI. Caesar | proc. dIvi · ClaudI | práef. pra[e]torI orna|mentIs · consular

Burrus mortuus est initio anni 62.

Bulletino della commissione arch. comunale VIII 1880 p. 172 (Romae rep.)

Q. Treb[ell]io [Q. f. T]er. Catulo | quaest[ori p]ro[vinci]ae . Narbonensis | tribuno [plebi]s · le[gato di]vI · ClaudiI · leg. XVI · · · · · Addas

CIL. III 6074 (Ephesi rep.)

M. Helvió · L. f. Fal | Geminó · III · vir. a. a. a | f. f. salió · Palatino · trib | mIlit. leg. XVI · Germániáe | q(uaestori) · Caesaris · práet. leg. Maced | pro · pr. lég. Asiáe · pro · praet | ad · lecto · inter · patricios · a | dIvo · Claudio

CIL. X 5188 (Casini rep.)

M. Obultronius · Cultellus · praef. fabr | divi · Claudi · iussu · Caesaris · dedicavit.

CIL. X 5182 = Wilm. 1139 (Casini rep.)

C. Vmmidio C. f. Ter. Durmio | Quadrato · cos. XV · vir · s. f. | leg. Ti. Caesaris · Aug. prov. Lusit | leg. divi · Claudi · in Illyrico · eiusd. et | Neronis · Caesaris · Aug. in Syria eqs.

Quadratum a. 60 mortuum esse Tacitus XIV 26 testatur. Cf. de eo Liebenam l. l. p. 156.

CIL. X 5185 v. supra p. 43.

CIL. XIV 3644 = Wilm. 1303 (prope Tibur rep.)

C. Iulius · Aug. l. Sam[ius] | prócㅤ| accénsus · dIvI · ClaudiI · et | Nerónis · Augusti | patronórum.

Ephem. epigr. tom. IV p. 343 nr. 926 ad CIL. VI part. 1:

Ti. Iulio · Aug. lib | Xantho · tractatori | Ti. Caesaris · et | divi · Claudi | et · sub. praef. classis | Alexandriae | Atellia · Prisca · uxor | et · Lamyrus · l. heredes | v. a. LXXXX

CIL. X 527 (Amalfiae rep.)

Ti. Claudius · DIvI · l. Erastus | scriniarius · ab · epistulis | fecit · sibi · et | Valeriae · Chione · coniugi | suae · libertis · libertabusque · suis | posterisque · eorum

CIL. VI 1921 (Romae rep.)

Nérito · dIvI · ClaudiI · [liberto] | principi · officiI · imper. · · · · | viátóri · appa[ruit · Augusto] | Iúliae · Chrysei[di coniugi] | Nerito . fIlio · dIvI · [Claudii · l. tabul. vect] | Ilyrici | Claudiae · Monta[nae filiae? et] | lIbertis · lIbertabu[sque post. q. eor]

CIL. VI 4305 (Romae rep.)

Ti. Claudius · divi · Claudi · lib. Actius | honoratus · curator · Germanorum | et · aedituus · Dianae · Cornif. collegio · magno | trib(unorum) · divae · Augustae · triclam · cum columnIs | et · mensIs · et · maceria · s(ua) · p(ecunia) · d(edit) · d(edicavit)

CIL. VI 8554 (Romae rep.)

Dis · Manibus | Ti. Claudius | didI ClaudI · lIb | [Di]pterus | vestificus · Caesar · | a veste · scaenica | Claudia · Lycoris | fecit · coniugi · suo · et | sibi · et · suis

CIL. VI 8636 (Romae rep.)

T. Claudius | Lemnius | divi · Claudi | Augusti · lib | a studiIs

CIL. VI 9060 (Romae rep.)

Hospiti · divI | Claudi · liberto | tabulario | Leonidiano | Polybius · lib | et · sibi · fecit · et · suis | posterisque · eorum

CIL. VI 15314 (Romae rep.)

Ti. Claudio · Vi[ctor]i · Antonia[no] | dIvI · Claudi · lib. v. a. v. | Claudia · Nebris · mater · Claudius · Herma · pa[ter] | filio · piissi[mo] | fecerunt.

CIL. II 159 = Wilm. 2684 (Ammaiae Lusitan. rep.)

P. Cornelio | Q. Macro | viritim . a divo | Claudio · civitate | donato | quaestori · II vir | ex testamento · ipsius | Quintius · Capito | cum Q(uinto) · f(ilio) · h(erede) · p(osuit)

CIL. V 7003 = Wilm. 1616 (Taurinis rep.)

C. Gavio · L. f | Stel. Silváno | [p]rimipIlári · leg. VIII · Aug | [t]ribuno · coh. II · vigilum | [t]ribuno · coh. XIII · urban | [tr]ibuno · coh. XII · praetor | [d]onIs · dónáto · a dIvo · Claud | belló · Britannico | [to]rquibus · armillIs · phalerIs | corónä . áureá | [p]atrono · colon | d. [d.]

Silvanus a. 65 mortuus est. Cf. Tac. XV 50.

CIL. X 1401 = Bruns, fontes iuris Romani ant.[5] p. 179 sq. Herculanei rep.: Senatus consulta de aedificiis non diruendis duo, quorum prius intra annos 44 et 46, alterum a. 56 factum est. Prius sic incipit:

Cn. Hosidio Geta L. Vagellio cos | X K. Octobr. s. c | eqs.; alterum sic

[Q.] Volusio P. Cornelio cos. VI · non Mart. s. c. · · · · · Cum s. c. quod factum est Hosidio Geta et L. Vagellio cos. clarissimis viris ante d[iem X] K. | Oct. auctore divo Claudio cautum esset, ne quis domum villamve dirueret eqs. — Accedant divi Claudi tituli mutilati[1]):

CIL. V 7507 (Aquis Statiellis rep.)

/ / / / / / / / / / · TR
diVI · CLAVDI I

CIL. IX 3150 (Corfinii rep.)

Divos · Claudius · Drus[i f. · · · · · ·] | M. Agrippa L. f. trib. · · · · ·

CIL. X 1626 (Puteolis rep.)

div]i Claudi

CIL. XI 1349[a] (Lunae rep.)

TITINIVs
II VIR · III · QVInq. · · · flam.?
diVI · CLAVdI
seVIR

'Fortasse idem est L. Titinius L. f. Gal. Glaucus Lucretianus titulorum nr. 1331 anni 66 p. Chr.'[2])

Revertamur nunc eo, unde digressi sumus. Nerone imperatore appellationem divi Claudi valuisse et in usu fuisse demonstrant primum acta fratrum Arvalium, deinde Neronis titulus, tum privatorum hominum inscriptiones; accedunt tituli divi Claudi numini dedicati. Nullam autem inscriptionem Neronis sub imperio factam inveni, in qua Claudius Ti. Claudius Caesar non adiecto divi nomine appelletur Nam titulos tales, qualis est

CIL. III 2097 = Wilm. 2707 (Salonis rep.)

C. Iúlius · Sceptus · Adméti · Aug. lib. [l]ib. I~~III~~I · Augustál · v. f. sibi et | · · · · · · | NIso · Ti. Claudi · Aug. ser. generó | defunctó | eqs., Claudio vivo inscriptos esse veri simillimum, immo certum est.

Ex iis, quae exposuimus, concludamus necesse est, qualia traduntur, Suetonii verba vera esse non posse. Vidimus divi Claudi cultum per omnes Neronis imperii annos et Romae et in provinciis

1) Spurium esse titulum apud Gruterum 153, 9 Lehm. nr. 387 (Emeritae Hisp. rep.): 'Imp. Divus Claudius | Drusi f. Caes. Aug. | Germ. pont. max. | trib. pot. x. cos. IV · imp. | XI · iter · reparavit | VI.', nemo non videt. Cf. Buecheler de Tib. Claudio gramm. p. 30.

2) Ad Claudium Gothicum pertinere videtur Eph. epigr. VII p. 245 nr. 767 Timghâd Numidarum rep. 'di]vo | Clau|dio'.

fuisse. Quam ob causam suspicio oritur ex odio Romanorum, ut saepe alias, sic hic attributum esse Neroni facinus, quod re vera opprobrio ei fieri non potest. Meminerimus autem, dicat quispiam, odii et impietatis, qua Nero Claudium mortuum insectatus est. Scio Neronem omnibus modis patris memoriam foedasse.[1]) Scimus ex Suetonio Neronem divi Claudi bustum nisi humili levique maceria non consaepsisse. Etsi idem Suetonius, neque est, cur dubitemus, multa decreta et constituta Claudii a Nerone ut insipientis atque deliri pro irritis habita esse tradit, tamen illud credere non possum consecrationem divi Claudi a Nerone abolitam et sublatam esse, id quod Romae ne posterioribus quidem saeculis factum esse videtur. Claudium minus ipsius quam gentis Iuliae Claudiae gratia inter divos relatum esse etiam id demonstrat, quod Claudialium sodalitas, cui cultus et veneratio divi Claudii mandata est, adiungitur Augustalium sodalitati, qui inde a consecratione Claudii sodales Augustales Claudiales nominantur. Quamquam minime a partibus eorum sum, qui Neronem omni culpa absolvunt, tamen templum divi Claudi coeptum ab Agrippina a Nerone destructum esse credo, nam illud dubium non est, non tam impietatis causa, ut Claudium honore caelesti fraudaret, quam aliis causis commotum esse Neronem, fortasse quae ad aedis formam vel fundamenta vel similia pertinerent.[2]) Denuo aedificasse Vespasianum templum non miramur, quia Vespasianum Claudio magnas gratias debuisse scimus.

Videamus autem, quid post Neronis obitum divi Claudii titulo factum sit. In actis fratrum Arvalium ultimum divo Claudio una cum divo Augusto et diva Augusta immolatur trium imperatorum anno Galba imperatore p. XC [Henzen] v. 15 a. d. III. non. Ian., Othone imperatore p. XCII v. 52 a. d. III. Kal. Febr. et p. XCIII v. 80[3]) prid. Id. Mart. Postquam ad Flavios imperium transiit, divorum gentis Iuliae Claudiae cultus cessat, nisi si cum ceteris imperatoribus divis simplici divorum nomine comprehenduntur[4]); verum non plane cessasse inscriptiones flaminum divi Claudi et sodalium

1) Cf. Suet. Ner. 33, Dion. LX 35, Senecae apocolocyntosin. Plinius paneg. § 11 'dicavit' inquit 'caelo Claudium Nero, sed ut irrideret', quibus Plinianis verbis optime Octaviae v. 448 sq. respondet:

Sen.: Ut facta superi semper comprobent tua.
Ner.: Stulte verebor, ipse cum faciam deos.

2) Postquam hanc coniecturam iam scripsi, inveni magno cum gaudio ante me iam Gilbertum, Gesch. und Topogr. v. Rom III p. 124 adn. 1, similia cogitasse 'Suet. Vesp. 9; doch hatte Nero selbst urspruenglich den Bau gefoerdert, den er spaeter wahrscheinlich nur deshalb vernichtete, weil er ihn in der Anlage seiner Wasserwerke hinderte' eqs.

3) Hoc loco Vitellii nomen hodie in actis legitur. Vota pro Othone nuncupata postea Vitellio attributa sunt, quam ob rem pro Othonis nomine Vitellii nomen insculptum est. Cf. Henzen p. 115 et 121.

4) Cf. Henzen Act. fr. Arv. p. 104; idem pauca addidit in Ephem. epigr. tom. II p. 212. Dessau eph. epigr. III p. 213.

Augustalium Claudialium demonstrant. De sodalibus quoniam haud multis annis ante doctissime et ita, ut materiae satisfaceret, disputavit Dessau in ephem. epigr. III inde a p. 205, ego, cum nihil novi invenerim, brevi exponam, quae ille nos docuit. Observavit Dessau p. 211 omnes, qui inde ab anno 54 gentis Iuliae Claudiae sacra curare iussi sunt, quos sodales Augustales Claudiales vocari postulamus, rarissime pleno eo nomine uti, plerumque priorem tituli partem adhibere, quem usum secuti sint sodales Flaviales Titiales. In tanta titulorum sodalium Augustalium Claudialium copia quinque inscriptiones Dessau repperit, neque ego dum corporis inscriptionum volumina volvo, plures inveni, in quibus duobus nominibus sodales illi utuntur. Sunt autem hi tituli:

CIL. V 6977 = Wilm. 1160, Dessau p. 209 nr. 1 ca. a. 103.

CIL. VI 1509 = Wilm. 1196, Dessau ib. nr. 2. Commodo imp.

CIL. VI 332 = Wilm. 1197, Dessau ib. nr. 3. Commodo imp.

Orelli-Henz. 6048 = Wilm. 1213, Dessau p. 210 nr. 4 saeculo II exeunte.

CIL. VI 1357, Dessau ib. nr. 5; incerto tempore, non ante II. saec. med.

Ultimum illius tituli testimonium in tabula sodalitatis acta annorum 213—215 continente videtur esse CIL. VI 1987 = CIL. XIV 2391 = Henz. 6046, cuius tabulae initium supplendum esse

Magisteria · sod[alium Augustalium] | Claudialium · an[nua] Dessau p. 210 docuit.

Videmus igitur usque in saeculum tertium fuisse sodalitatem illam, quae divi Augusti et divi Claudi cultum curaret.[1])

Flaminum divi Claudi[2]) hos inveni titulos:

CIL. IX 1123 = Wilm. 1174 Dessau l. l. p. 223 nr. 1 (Aeclani rep.)

[L. Eggio · L.] f. Cor. Ambibulo | Pom[ponio (?) · Lon]gino · Cassiano · L. Mae|cio Pos[tumo · cos.] flam. Claud(iali) salio · Collino · pr(aetori) · | candidato · eqs. · · · · p(ublice) · d(ecurionum) · d(ecreto) anno 126.

CIL. X 6566 (Velitris rep.)

[D.] M. | · · · · · aio Galerio · | Maximo · | [fl]amini · Claudiali | q. Kandid. X · vir | [s]tlitib. Iudic. | · · · · mus. ser. ark. et · · · ·

CIL. II 4217 (Tarracone rep.)

· · · rio | Q. [fil. Gal.] Fus[c]o | II vir. flam. divi | Claudi · praef. orae | marit | flamini · divorum · et | Augustor. p. H. c. provinc | Hispania · citerior | [or]do · Tarraconens | honores · decrevit

CIL. III 650 (Philippis rep.)

P. Cornelius · Asper. Atiarius · Montanus | equo · publico · hono-

---

1) Augustalium Claudialium tituli reperiuntur Beneventi CIL. IX 1689 1698 1648 1701 1705. Sodales Claudiani commemorantur CIL. II 3114.

2) Quorum titulos plerosque collegit Hugo Herbst, de sacerdotiis Romanorum municipalibus (diss. inaug. Halis 1883) p. 7 sq.

ratus · item · ornamentis · decu|rionatus · et · II viralicis · pontifex · flamen · dIvi · Claudi · Philippis | ann. XXIII . h. s. e

CIL. V 875 = Wilm. 691 (Titulus Aquileiae positus Ti. Iulio [Candido · II · C. Ant]io Quadrato · II · cos = a. p. Chr. 105).

C. Minicio · C. fil | Vel. Italo · IIII · viro · i. d | praef. coh. V · Gallor. eqs. · · · · · · v. 11 praefecto · annonae · praefecto · AegyptI · flamini · dIvI · Claudi | decr. dec

CIL. V 534 = Wilm. 1247 (Tergeste rep.)

Q. Petronius · C. f. Pu[p]. Modestus · p. p. bis | leg. XII · fulm. et · leg. I · adiu[t]ric. trib. mIl. coh. V · vig | tr. coh. XII · urb. tr. coh. V · pr. pr[oc]. divI · Nêrvae · et · imp. Caes | Nervae · TraianI · Aug. Germ. provin[c. Hi]spaniae · citer . Asturiae · et | Callaeciarum · flamen · dIvI · Claud[i de]dit . idemque · dedicavit

'titulus positus inter a. 98 et 102, cum Traianus nondum Dacicus appelletur.' Wilm.

CIL. V 5126 (Bergomi rep.)

C. Cornelio | C. f. Vot | Miniciáno | praef. coh. prím | Damasc. eqs. · · · · · | (lin. 10) flámini · divi · ClaudiI | Bergomi · patróno | flámini · divi · Traiáni | Medioláni | plebs . urbán

post annum 117.

CIL. XI 417 = Wilm. 2120 (Arimini rep.)

C. Memmio | C. f. An | Mariano | flam. dIvI · Claud | II · vir · III · vir | curatori · aedIum | q(uaestori) · alim(entorum) · ad · arkam | vIcani · vic. Velab | patron. ob · mer[it.] eius | cuius · dedicat · singul | HS n. VIII · ded | l. d. d. d

in codice traditur ARICIAM, fuisse AD · ARKAΛ Hirschfeld coniecit.

CIL. V 6431 (Ticini rep.)

Sex. Sextilius · Sex. f. Papiria · Fuscus | flamen · Romae · et · divi · Claudii | IIII · vir · i(ure) · d(icundo) · pontifex · augur · Salius · grat. d. d | praefect. fab[r]. ded.

Item Claudium divum cultum esse a flaminibus divorum et Augustorum, quos saepius ex. gr. CIL. II 2344 et 4217 invenimus, patet. Divos Caesares in iuris iurandi formula invocatos esse a Romanis e Dione LX 4 et LXXIV 4 scimus, ubi de catalogis divorum imperatorum loquitur ὧν μνήμην ἐπί τε τοῖς ὅρκοις καὶ ἐπὶ ταῖς εὐχαῖς ποιούμεθα, quorum in numero fuisse Cassii Dionis temporibus Claudium certum videtur esse, quod Tiberium et Gaium Caligulam plane et diserte dicit non fuisse in numero imperatorum sic invocatorum, de Claudio nihil eiusmodi dicit. In lege municipali Salpensana et Malacitana CIL. II 1963 et 1964 anni 81/84 praefectus qui iure dicundo praeest, iurare iubetur XXV 30 XXVI 45 LIX 15 'per Iovem et divom Aug(ustum) et divom Claudium et divom Vesp(asianum) Aug. et divom Titum Aug. et genium imp(eratoris) Caesaris Domitiani Aug(usti) deosque penates'.

Claudium a fratribus Arvalibus esse invocatum etiam initio saeculi tertii constat. Immolantur enim VI Id. Febr. annorum 183

'divis n(umero) XVI verbec(es) n. XVI, 218 et 224 divis n. XX verbec(es) n. XX'. De consummatione eorum numerorum conferas Henzenum p. 148 sq. et Mommsenum (Staatsrecht II² p. 769 adn. 1 et 780 adn. 1, in ephem. epigr. III p. 82 adn. 1) et novissimum Ernestum Desjardins rev. de philologie III p. 47 sq., quorum virorum tabellae quamvis hic et illic inter se diversae omnes tamen rectissime divum Claudium continent. Neque est, cur dubitemus, quin etiam postea in Arvalium nec non sodalium Augustalium Claudialium collegio in divorum Caesarum numero Claudius fuerit.[1]) Ubique enim videmus in sacris magna cum pertinacia et constantia, quae a maioribus instituta sunt, coli ac retineri, etsi ipsa res tot saeculis elapsis non iam nota fuerit aut paene inepta facta. Cessasse autem et paene desiisse divi Claudi cultum ac venerationem publicam inde ab initio fere saeculi tertii ex alius generis cernimus documentis. Nam secernendum esse ab divorum Caesarum cultu in collegiis Arvalium et sodalium Augustalium Claudialium, quae quamdiu fuerint, nescimus, divorum imperatorum cultum ut ita dicam publicum censeo, de quo anno 248 Claudium amotum fuisse aut tunc amotum esse constat. Necesse enim paene erat ex ingenti fere divorum Caesarum multitudine, quoniam divini honores non modo bonis principibus dari solebant verum etiam pessimis et iis, qui nihili erant, seligi nonnullos, quorum cultus servaretur. Semper autem numerus divorum divarumque non idem fuerat, divam Claudiam et divam Poppaeam nisi Nerone imperatore non invenimus in actis fratrum Arvalium et iure eas aliasque personas divas omiserunt, qui numero XVI et XX divorum in actis Arvalium annorum 183 218 224 explicando operam dederunt. Utrum Alexander Severus, qui secundum testimonium hist. Aug. Vit. Alex. 28 'statuas colossas vel pedestres nudas vel equestres divis imperatoribus in forum divi Nervae[2]), quod transitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis et columnis aereis, quae gestorum ordinem continerent exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocavit additis gestis', omnium divorum an nonnullorum statuas locaverit, nescimus. Primus, quem elegisse minorem numerum divorum scimus, Philippus est. Restituit enim tertii saeculi imperator aliquis, quem fuisse Philippum Feuardent in adnotatione ad Coheni syllogen tom. V ed. II p. 471 sq. veri si-

1) Mommsen Eph. epigr. III p. 77 sq. triginta septem vel rectius sex flamines perpetuos, qui in albo ordinis Thamugadensis Iuliani temporibus conscripto (CIL. VIII 2403) nominantur, singulos singulis divis datos esse coniecerat, quam coniecturam nuper Hirschfeld in actis acad. Berolin. 1888 p. 861 et in Hermae tom. XXVI p. 152 et Ioannes Schmidt Mus. Rhen. XLVII p. 125 sq. causis quamvis non firmis tamen sat probabilibus nixi refutaverunt. Cf. etiam Desjardins revue de philologie III p. 36 sq. et p. 62.

2) Cf. Gilbert, Topogr. III p. 232 adn. 3 et Lanciani, Aula, in Atti della acad. d. Lincei serie III. Mem. storiche vol. XI 1882—83 p. 23, qui fragmenta statuae colossae Martis ibi reperta cognovit.

mile reddidit (Eckhelius de Gordiano, Cohen de Gallieno cogitabat) priorum imperatorum nummos.[1]) Neque vero omnium divorum, qui inde ab Augusto usque ad Alexandrum Severum consecrati sunt, nummos restituit, sed delectum habuit. Restituti sunt Augustus (Cohen Augusti nr. 577—579), Vespasianus (Coh. Vesp. nr. 651 et 652), Titus, Nerva, Traianus, Hadrianus, Antoninus, Marcus Aurelius, Commodus, Septimius Severus, Alexander Severus. Omnes nummi caput imperatoris radiatum habent circumscriptis verbis DIVO ····, in reversa parte legitur CONSECRATIO. Non sine causa omissos esse divum Claudium, Lucium Verum, Pertinacem, Getam, Caracallam, immo electos esse eos divos, qui etiam tunc aliquo modo in memoria hominum viguerint, persuasum habeo, etsi miror Pertinacem, cuius dies natalis etiam saeculo quarto celebratus est, omissum esse. Alter, quem elegisse e divorum copia nonnullos scimus, Tacitus imperator (275—276) est; in historia enim Augusta vit. Tac. 9 traditur 'divorum templum fieri iussit, in quo essent statuae principum bonorum, ita ut isdem natalibus suis et Parilibus et Kalendis Ianuariis et Votis libamina ponerentur'. Quamquam nomina non afferuntur a Vopisco, tamen certum videtur esse divum Claudium in numero divorum illorum principum non fuisse. Neque in Philocali fastis tabellaque natalium Caesarum quae catalogum eorum divorum praebet, quorum dies natalis anno 354 celebratus est (CIL. I p. 356, Mowat bulletin épigr. V 1885 p. 238), divum Claudium invenimus. Iidem divi additis Iuliano et Honorio in Silvii fastis anno 448/449 compositis enumerantur omisso Claudio Neronis patre, nam is divus Claudius, cuius natalis secundum Philocali et Silvii fastos a. d. VI. Id. Mai. celebratur, Claudius Gothicus est; erraverunt enim Henzen in indice collectionis inscriptionum Orell., Beurlier p. 75, Desjardins l. l. p. 46, qui Claudium priorem ibi significari putabant. Etiam Mommsen eodem imperatorum nomine deceptus inscriptioni Crescentis aurigae, quam brevi prolaturus sum, falso diem Claudii Gothici adscripsit. Repetiit vitium Friedlaender. Claudium Drusi filium natum esse Suetonius Claud. 2 et fasti Antiates (CIL. I p. 328 et X p. 664) Vallensesque (CIL. I p. 320) Kalendis Augustis testantur. Quomodo divus Claudius Drusi filius ex illo die remotus sit, statim Philocalus docet, in cuius tabula legimus 'mens. Augusto Kal. Aug. n̄. divi Pertinacis' Claudii igitur dies Pertinacis die natali oppressus est. Regnavit divus Pertinax anno 193. Si non statim anno 193, tamen paulo post evanuisse seu ex decreto principis vel senatus seu oblivione temporum Claudii natalis celebrationem[2]) veri simillimum est, quam anno 124 in usu fuisse titulus editus a Mommseno Ephem. epigr. IV p. 248 (cf. Fried-

1) Feuardent l. l. Philippum nummos illos fecisse putat miliarii saeculi anno 248 a Philippo celebrati gratia.

2) Scimus ludos Circenses habitos esse diebus natalibus Caesarum inprimis divorum, de qua re cf., quae Mommsen CIL. I p. 377 sq. exposuit.

laender, Sittengesch. II[6] p. 517 et Lovatelli in Bull. della commiss. arch. com. VI 1878 p. 164 sq.) docet:

Crescens · agit | factionis · Ven(etae) | natione · Maurus | annorum · XXII | quadriga · primum | vicit · L. Vipstanio Messala · cos. · natale | divi Nervae (a° 115 Nov. 8) miss. XXIIII | equis · his · Circio · Accep|tore · Delicato · Cotyno | ex Messalla · in Glabri|onem cos in · natale | divi · Claudi · (a° 124 Aug. 1, non, ut Mommsen et Friedlaender adnotaverunt, Mai. 10) miss(us) · ost(io) · | DCLXXXVI · vicit · XXXXVII | eqs.

Iam autem saeculo fere prius quam ipsius Claudii homines obliti sunt, divi Claudi appellatio evanescit, cui titulo idem fere, quod litteris novis tribus a Claudio inventis accidit, quas Tacitus ann. XI 14 Claudio mortuo oblitteratas esse dicit. Divi autem fere omnes praeter divum Augustum et divum Antoninum nisi sub imperatoris sequentis imperio in inscriptionibus, si excipimus sacras, divorum nomine non sunt insigniti. Idem in Claudi titulis videmus. Nerone imperatore Claudium in titulis semper divi nomine ornari vidimus, Vespasiano et Tito Caesaribus rarior eius nominis attributio fit, quamquam omnino pauci aetatis Flaviorum tituli exstant, in quibus Claudi imperatoris nomen legatur.

Initio imperii Vespasiani conscriptus est titulus CIL. VI 930 (Wilmanns 917, Bruns, fontes iur. rom. ant.[5] p. 182) senatus consultum de imperio Vespasiani continens. Legis fragmentum sic exorditur: 'foedus cum quibus volet facere, liceat ita, uti licuit divo Aug(usto) | Ti. Iulió Caesari Aug. Tiberioque Claudio Caesari Aug. Germanico'. Eadem nominum coniunctio, ita ut Augustus divus, Claudius non appelletur divus, etiam v. 6 22 25 28 legitur; v. 16 sic: 'utique ei fines pomerii proferre promovere, cum ex re publica censebit esse, liceat ita, uti licuit Ti. Claudio Caesari Aug. Germanico'. Protulerat divus Claudius pomerii fines a. 49 (cf. Wilm. 843 = Orell. 710). Quinque igitur eius legis a senatu decretae locis Augusto divi nomen tribuitur, Claudio non datur. Miro modo Vespasiani titulos Claudio divi nomen addere, senatus consultum negare iam supra dixi. Recte mihi Gaston Boissier, la religion romaine d'Auguste aux Antonins I Paris 1874 p. 197 hanc difficultatem explicasse videtur, 'la divinité' inquit 'de Claude était fort ébranlée. Dans la loi royale, qui conférait à Vespasien les prérogatives souveraines, on n'avait pas osé donner le nom de dieu au mari malheureux d'Agrippine; Vespasien, qui était un prince conservateur, et qui mettait sa gloire à maintenir les traditions, fit cesser cette irrégularité. Après tout Claude avait été mis dans le ciel par un decret du sénat en bonne forme, il n'y avait pas de raison de l'en chasser.'

Videamus nunc titulos Vespasiano imperatore scriptos.

Anno 52/53 Claudius aquam Claudiam exstruxerat, quam rem titulus CIL. VI 1256 (Wilm. 764) testatur. Additae sunt titulo Claudi Vespasiani et Titi inscriptiones: 'Imp. Caesar Vespasianus ···

aquas ··· perductas a dIvo Claudio et postea intermissas ··· restituit.' Similisque est Titi inscriptio, qua restitutas esse iterum aquas Claudias refert. — Divus nominatur Claudius etiam

Bull. della commiss. arch. com. XI 1883 p. 224 sq. (Romae rep.)

[T. Flavio · T. f. Quir(ina) · Sabino] | [triumphalibus · ornament. honorato] | [leg. divi · Clau]dI · propr. provin[c. Moe]|[siae · cur. census] GallicI · praef. urb[i] | [iterum · huic ·] senatus · auctór[e] | [imp. Caes. Vesp]ásiano · fratre | [clupeum? po]suit eqs.

titulus, quem Mommsen et Lanciani suppleverunt, ad Flavium Sabinum Vespasiani fratrem pertinere apparet.

CIL. III 335. (Apameae rep.)

···· tilio · P. f. Clu. Lol[lian]ò (?) | [t]rib. mil. leg. IIII · Scythic. | benificio · divi · Claudi · | praef. coh. III · sagittar. | adlecto · inter · praetor. | [a]b · imp. Vespasiano · Aug. | [l]eg. propr. provinciae · Asiá[e] | [c]ol. | Iul(ia) · Conc(ordia) · Apamea · | patrono · suo.

CIL. XIV 2612 (Tusculi rep. III vel IV frgm. marmorea)

····· | pro · cos. Asiae · per · tri[ennium] | hic · lectus · est · ab · dIvo · Claud[io inter patricios (?)]. cetera cognosci non possunt.

'Wells et Beloch retulerunt ad Eprium Marcellum, quem solum novimus proconsulem Asiae per triennium.' Eiusdem est titulus CIL. X 3853 Capuae repertus (Orell.-Henz. 5425). Consul suffectus II. Marcellus anno 74 fuit, proconsul Asiae annis 71—74.

Unus, quantum vidi, Flaviorum aetatis titulus Ti. Plautii Aeliani viri nobilissimi Claudium non nominat divum. Titulus CIL. V 7003 (Wilm. 1616) Nerone imperatore positus Gavium Silvanum donatum esse a divo Claudio bello Britannico torquibus et corona aurea narrat, Ti. Plautii Aeliani[1]), qui Claudi comes fuit in expeditione Britannica, titulus celeberrimus Vespasiano regnante scriptus divi appellationem non addit:

CIL. XIV 3608 = Wilm. 1145 (prope Tibur rep.)

Ti. Plautio · M. f. Ani | Silvanó · Aelianó | pontif. sodali

1) Eidem Plautio Silvano Aeliano titulum CIL. IX 2847 Histonii rep.

CIV · · · · · · · · ID · · · · · · · · · · ·
REGI · SACERD · FLAM · · · · · · ·
PATRIC · LEG · CAESARIS · PRO · · ·
CLAVDI · IN · BRITANNIA · AD · · ·
pRO · PR · IN · HIBERIA · AD · SEL · · ·
ORNAMENTA · TRIVMPHalia

Liebenam in 'Forschungen zur roem. Verwaltungsgesch.' I p. 270 adn. 2 tribuit quamvis dubitans. Secutus sum in titulo scribendo Domaczewskio auctore Gudium. Ego de titulo iudicium retineo, veri simile mihi videtur esse, etsi alter Plautii titulus Claudium simplici nomine omissa divi appellatione nominat, supplendum esse ante CLAVDI vocabulum DIVI, nam alias postularemus Caesaris titulum additum. De hoc titulo a tot tantisque viris doctis tractato necdum sanato v. Huebner Rh. M. XII 1857 p. 47 et Herm. XVI 1881 p. 525 et S. Peine, de ornamentis triumphalibus (diss. inaug. Lips., Berolini 1885) p. 61 sq.

Aug(ustali) | III · vir. a. a. a. f. f. q. Ti. Caesaris | legat. leg. V · in Germaniá | pr. urb′ legat. et · comitI · Claud | Caesaris · in Britannia · consulI | pro · cos. Asiae · *cqs* · · · · · v. 36. hunc · in · eadem · práefectúra · urbis · Imp. Caesar | Aug. Vespásianus · iterum · cos. fécit

Scriptus est titulus inter a. 74 et 79, quo anno Vespasianus divus fit.

Ultimum divi Claudii nominis testimonium (praetermissis inscriptionibus ad sacra divi Claudi pertinentibus, quorum in numero etiam Crescentis titulus est), quatenus inscriptiones et nummi respiciuntur, Traiani restitutionis nummus videtur esse, cuius archetypus a Claudio cusus non exstat, Coh. I² p. 259 n. 110 'Divus Claudius'. Caput Claudii coronatum ℞ 'Imp. Caes. Traian. Aug. Ger. Dac. p. p. rest.' Concordia, qui nummus post annum 102 cusus est.

Videamus nunc, ubinam Claudius a rerum scriptoribus et poetis divus appelletur. Unus rerum scriptor saepius eo cognomine Claudi utitur Plinius in naturali historia anno 77 Vespasiano dedicata. Tacitus rarissime divum nominat ann. XIV 31 'ad hoc [in Britannia] templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis adspiciebatur', Agr. 13 'divus Claudius auctor iterati operis [scil. Britanniae pacandae]'; adde ann. XIII 14 '[Agrippina] intendere manus, · · · ·, consecratum Claudium, infernos Silanorum manes invocare'. Frontinus de aquis, id quod egregie dictum nostrum confirmat, divi Claudi nomine non utitur nisi in formula 'templum divi Claudi', ceteris locis p. 9. 13 Buech., 41. 5, 44. 22 Claudius aut Claudius aut Ti. Claudius appellatur. Suetonius praeter Vesp. 9 'templum divi Cl.' et titulum vitae Claudi praescriptum divi nomine non utitur neque in Senecae apocolocyntosis titulo Claudium divum appellari miramur. E poetis, quantum vidi, soli Statius et Iuvenalis ad Claudi consecrationem alludunt, divi cognomine non utuntur, ille silv. III 3, 76 Praecipuos sed enim meritosque erexit in actus | nondum stelligerum senior dimissus in axem | Claudius et longo transmisit habere nepoti', hic VI 115 'respice rivales divorum, Claudius, audi, | quae tulerit,' et VI 620 · · · 'minus ergo nocens erit Agrippinae | boletus, siquidem unius praecordia pressit | ille senis tremulumque caput descendere iussit | in caelum et longa manantia labra saliva.'

Quo rarior usus divi Claudi nominis primo saeculo est, eo magis miramur, quod apud scriptores tertii quarti quinti saeculi hic et illic Claudius divus appellatur. Non dico Ammianum, nam ubi divi Claudi mentionem facit, Claudium Gothicum significat, nostrum appellat Claudium Caesarem. Solinus autem homo quarti saeculi tot locis Claudio divi cognomen attribuit. Nolite mirari. Nam ubicunque Claudius divus appellatur, Plinius quoque in naturali historia Claudium divum nominarat; ubi Plinius Claudium Caesaris simplici nomine signat, Solinus item auctorem suum sequitur. Vide Mommseni editionem.

Neque aliter atque de Solino iudicandum est de iis grammaticis, qui Claudium divum nominant. Quintilianus nusquam ea utitur significatione, cf. I 7. 26, VII 5. 16, VI 3. 81. Gellius autem n. A. XIII 14. 7 'Sed de Aventino monte praetermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elydis grammatici veteris commentario offendi, in quo scriptum erat Aventinum antea extra pomerium exclusum post auctore divo Claudio receptum et intra pomeri fines observatum'. Gellius igitur veteris grammatici primi post Christum saeculi, cuius nomen in codicibus depravatum certo restitutum non est, libro usus est. Sic explicatur divi Claudi nomen. Item iudicandum est, etsi fons, ex quo hausit scriptor, non nominatur, de Martiani Capellae III 245 'huic [s] litterae divus Claudius p adiecit aut c propter ψ et ξ Graecas ut psalterium sacsa'. Cf. de eo loco Buechelerum, de Ti. Claudio grammatico p. 8 et 9. In I. Iuergenseni dissertatione de III. Martiani Capellae libro in commentat. phil. Lips. 1874 frustra de hac re quaesivi.[1])

Addo iureconsultorum locos huc spectantes. Gaius semel Claudium nostrum divum nominat inst. I 62 'Fratris filiam uxorem ducere licet: idque primum in usum venit, cum divus Claudius Agrippinam fratris sui filiam uxorem duxisset: sororis vero filiam uxorem ducere non licet'; ceteri, qui eam legem promunt, Ulp. V 6, Inst. I 10. 3, Mos. et Rom. leg. coll. VI 4 § 5, exemplum illud a Claudio datum (Tac. XII 5, XIII 2, Suet. Claud. 26. 39. 43, Dio 68. 2) non addunt. Praeter illum Gai locum divi Claudi nomen in priorum iureconsultorum libris non reperies nisi apud Ulp. III 6 'Nave Latinus civitatem Romanam accipit, si non minorum quam decem milium modiorum navem fabricaverit et Romam sex annis frumentum portaverit, ex edicto divi Claudi'; (Cf. Suet. Claud. 18), quo loco Ulpiani nisus Huschke morem suum secutus etiam Gai. inst. I 32c 'Item edicto Claudi Latini ius Quiritium consecuntur, si navem marinam aedificaverint' eqs.[2]) Claudi nomini divi vocem addidit, non recte puto, nam aliis quoque quamvis paucis locis, ubi divorum Caesarum nomina Gaius affert, veluti Hadriani et Traiani, divi nomen omittit.[3]) Neque apud Ulpianum semper ii imperatores, quibus mortuis (Tac. XV 74) a senatu caelestes honores dati sunt, divi appellantur. Cf. XXIV 28, quo titulo Nerva divus appellatur, Hadriani nomini divi appellatio non additur. Ceterum apud iure-

1) Ceteri grammatici, qui novas Claudii litteras commemorant, nunquam imperatorem divum appellant, Priscian. Keil, g. l. tom. II 33. 4 'Claudius Caesar', item ex coniectura Buecheleri ib. II 15. 5 [cod. 'Caesar']; Velius Longus, de orthogr. Keil g. l. VII p. 75. 17 'Ti. Claudius'.

2) Dig. 50. 5. 3 eadem lex nullo nomine adiecto legitur.

3) Vide quaeso indicem editionis Kruegeri et Studemundi. Gai. I 47 et II 57 simplex Hadriani nomen, ceteris divi Hadriani adhibet. De divi Antonini titulo cf. Teuffelii hist. litt. Rom.[5] § 361. 3. Non autem puto certam rationem secutos esse iureconsultos in adhibita et omissa divi significatione.

consultos etiam inferioris aetatis divos plerumque Caesares illos appellari non miramur. Cf. Beurlier p. 287.

Re vera autem iam in initio saeculi alterius ex usu cotidiano divi Claudi nomen evanuisse epistolae Plinii ex Bithynia ad Traianum missae demonstrant, namque ubi Claudii Caesaris mentio fit, et imperator et Plinius simplici Claudii Caesaris nomine utuntur, vide ep. LXX et LXXI.

Haec fere sunt, quae de historia tituli illius collegi. Quem igitur fructum ex omni nostra et inscriptionum nummorumque et scriptorum pertractatione sumpsimus? Claudii divi appellationem usque ad initium alterius saeculi fuisse in usu, postea autem evanuisse vidimus, nam neglegendam esse appellationem divi Claudii in cultu sacrisque supra exposuimus.

Quid autem id ad Octaviae fabulam? Quater i. e. semper fere Claudius divus appellatur a fabulae personis

v. 285 [Chorus:] · · · 'sancta quid illi [Octaviae]
prodest pietas divusque pater?',
534 [Sen.:] 'generata divo Claudiae gentis decus',
586 [Sen.:] · · 'merita te divi patris | aetasque frangat coniugis',
789 [Nuntius:] 'Reddere penates Claudiae divi parant'[1]).

De versu 448 ad Claudi consecrationem spectante iam supra dixi. Concludamus necesse est, id quod cetera quoque argumenta docent, conscriptam esse fabulam primo post Christum saeculo.

Sed non modo e titulis, quibus in Octavia personae significantur singulae, aetate qua conscripta sit fabula, cognoscere possumus, sed etiam e titulo, qui domui Caesareae tribuitur v. 168

'modo sidus orbis, columen Augustae domus' [Britannicus].

Nam usitatissima est domus Caesarum significatio 'domus divina' in primis a medio altero saeculo. Quamquam enim iam in inscriptione primi saeculi Chichesteriensi CIL. VII 11

[N]eptuno · et · Minervae | templum | [pr]o · salute · do[mus] · divinae | [ex] auctoritate · [Ti.] Claudi | [Co]gidubni · r(egis) · lega[ti] · Aug. in Brit. | [colle]gium · fabror. et · qui · in · eo | · · · · d(e) · s(uo) · d(ant) · donante · aream · | [Clem]ente · Pudentini · fil ·[2])

et in libris iam apud Phaedrum V 7 extr. 'princeps · · · superbiens honore divinae domus' et Statium silv. V praef. 'praeterea latus omne divinae domus semper demereri pro mea mediocritate

1) 'torosque fratris, debitam partem imperi', cui versui cf. Burri verba a Dione tradita Xiphil. LXII 13 et exc. de sentent. in Dion. ed. Dindorf. tom. V p. 193 Βούρρου ἐναντιουμένου αὐτῷ [Νέρωνι] · · · καί ποτε εἰπόντος 'οὐκοῦν καὶ τὴν προῖκα αὐτῇ' τοῦτ' ἔστι τὴν ἡγεμονίαν 'ἀπόδος'.

2) Cf. de eo titulo Henzenum in Act. fr. Arv. p. 123, Mowatium bull. épigr. V p. 223 sq., Friedlaenderum in hist. mor. I⁶ p. 111 adn. 1., Liebenamium l. l. p. 91.

conitor' (cf. silv. III 3. 65) significatio eadem invenitur, tamen rarissimam esse primo saeculo certum est. Neque adstipulor Mowatio qui l. l. dicit 'Il n'est donc plus permis d'affirmer ··· que la locution 'domus Augusta' a précédé 'domus divina' et que celle-ci ne commence à apparaître qu'au milieu du second siècle'. Alteram enuntiati partem probo, prior falsa est. Ego subsistendum esse censeo in veterum sententia. Nam et rerum natura ita fert, domus Caesarum ut prius domus Augusta quam domus divina appelletur, et tituli aperte demonstrant usque ad medium fere saeculum alterum domus divinae appellationem rarissime, sat saepe autem 'domum Augustam' exhibentes. Recte René Cagnat in 'cours d'épigraphie latine' 1889 p. 163 'postérieurement cette formule [dom. Aug.] est remplacée par la formule 'domus divina''. Saeculi primi titulus, in quo domus divina adhibeatur, praeter lapidem illum Britannicum non exstat. 'Domus Augusta'[1]) primum dicitur ab Ovidio ex Ponto II 2. 75

'Adde nurus neptesque pias natosque nepotum
Ceteraque Augustae membra valere domus';

Schoener p. 485 addidit Val. Max. II 8. 7 'ceterum ad quercum pronae manus porrigantur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustae domus sempiterna gloria triumphant' et VIII 15 praef. 'ad Augustam domum, beneficentissimum et honoratissimum templum'.

Tertium in libris exemplum Octaviae iste versus mihi videtur esse, antiquissimum autem inter inscriptiones exemplum ex Chersoneso Thraciae Ephem. epigr. V p. 83 n. 226

Numini · domus · Augustae · | TI. Claudius · Faustus · Regin · et | Claudia · Nais · Fausti | balneum populo · et · familiai [!] | Caesaris · n(ostri) · d(e) · [s(ua)] · p(ecunia) · f(ecerunt) · idemque · | aquam · in eius · balneI · usus | perduxerunt · et · consecrarunt | ////////////// Caesare · Aug. et Antistio · Vetere | cos

a. 55 p. Chr. Neronis nomen erasum esse patet.

'Domus divina'[2]) significatio ab altero saeculo medio usitatissima apud Romanos nusquam in fabula legitur. Inde quoque colligimus conscriptam esse fabulam, antequam nomen 'domus divinae' pervulgatum sit. Nam licet multa sui aevi vestigia in describendis temporibus prioribus deterat et condat poeta ita, ut aevum agnosci vix possit, semper tamen ut in sermone et arte grammatica sic in titulorum usu posterior aetas scriptoris et maxime poetae cernitur.

1) Schoener, die Titulaturen d. roem. Kaiser in act. Erlang. I p. 485 historiam adiectivi 'augustus' exposuit.

2) De nominibus illis cf., quae Robertus Mowat loco saepe collato doctissime disputavit, quamquam vix omnia probare possum, quae ille exposuit. Velut falsum esse persuasum habeo, quod ille 'domum divinam' e 'domo divi' ortam esse contendit, cuius elocutionis nullum exemplum neque apud rerum scriptores et poetas neque in inscriptionibus exstat.

Caput VI.

Octavia Domitiano imperatore conscripta.

Fabula per quinque capita pertractata quandonam conscripta sit, anxie quaerentem audire mihi videor. Atque re vera tandem ex illis, quae adhuc exposuimus, concludamus necesse est. Capite altero demonstravimus ante Tacitum esse conscriptam tragoediam, capite tertio decem minimum annis post annum trium imperatorum, quarto ante Quintiliani librum de causis corruptae eloquentiae. Sic concinentibus ceteris rebus, titulis, re grammatica et metrica[1]) ultro eo delati sumus, ut fabulam Domitiani aetati adscribamus. Caveamus autem, ne nimis longe eam ab anno 81, quo Tito fratri Domitianus successit, removeamus. Nam satis propinquum fuisse aetati Neronianae poetam et, ut ita dicam, auram aetatis illius spirasse, inde mihi colligendum videtur esse, quod tam vividis coloribus aetatem Claudii et Neronis depingit, quales posterioris[2]) saeculi ac procul distantis poeta addere omnino non potuit. Exempla affero primum ea facta, quae e rerum scriptoribus depromi non potuisse supra ostendi, deinde memoriam domus Iuliae Claudiae post Flavios magis magisque obscurari et paene evanescere videmus. Nummi Augusti restituti sunt a Tito, Domitiano, Nerva, Traiano, Hadriano, Philippo, (de quo supra diximus), Tiberii a Tito, Domitiano, Traiano, Claudii ab iisdem. Caligulae Neronisque nummi restituti non sunt. Traianus igitur, si quidem divum Augustum secernendum esse a ceteris imperatoribus iam capite quinto demonstravimus, ultimus priorum imperatorum nummos restituit. Octaviae memoria ab historicis vix servata desinit apud poetas alterius saeculi. Unus Octaviae meminit Iuvenalis isque sine nomine sic in sat. VIII v. 216 Neronis scelera enarrans

> . . . 'ille [Orestes] deis auctoribus ultor
> patris erat caesi media inter pocula, sed nec
> Electrae iugulo se polluit aut Spartani
> sanguine coniugii, nullis aconita propinquis

---

1) De re grammatica et metrica, quoniam difficile est novi aliquid afferre, perlegas, quae Schmidt in dissertatione 'de emendandis Senecae tragoediis' Berol. 1860 et Leo in observationibus doctissime et accuratissime scripserunt.

2) Veluti quarti, cui Peiper et Richter fabulam adscribere infelicissime conati erant (cf. praef. editionis p. XIII); nam hoc posito poetam usum esse Tacito, quod editores illi Vateri et Braunii argumentis futilibus tamquam firmissimo fundamento freti contenderunt, recte concludit Braun deferri nos ad tempus renascentium litterarum, non recte concluserunt Peiperi Richteri Birtii (Rhen. mus. XXXIV p. 559), quorum sententiae historia poesis tragicae, tituli, denique omnia contradicunt. Rectissime Ladek p. 93 'quo modo' inquit 'quaeso postea alicui in mentem venire potuit huius gentis Iuliae feminae sortem describere?'

miscuit, in scaena nunquam cantavit Orestes,
Troica non scripsit'.

Sed neque Statius neque Martialis, qui Neronis saepe mentionem faciunt, Octaviae fatum commemorant. Perlegas catalogum scelerum Neronis Boethianum II 6; invenies urbis incendium, necem Britannici et Agrippinae, Octaviae mortem non reperies. Apud poetas Christianos praeter matricidium praecipue Christianorum persecutio Neroni exprobratur; Prudentius contra Symmachum I 669 sic Romam loquentem inducit:

'Illius (Iovis) instinctu primus Nero matre perempta
sanguinem apostolicum bibit ac me strage piorum
polluit'.

Longum est haec fusius exponere. Satis liquet inde ab Hadriano memoriam Octaviae evanuisse Romae. Optime autem fabulae poeta non solum res Claudio et Nerone imperantibus gestas, sed etiam, id quod multo maioris ponderis videtur esse, quo fuerint animo illorum temporum homines, novit. Quanta cum admiratione totius populi Romani a divo Claudio pacata sit Britannia, cum alia tum epigrammata anthologiae latinae Riesii nr. 419—426 = P. L. M. Baehrensii IV nr. 29—36 docent. Medeam tragoediam nisi post expeditionem illam, qua ultima Thule reclusa est, scribi non potuisse inter omnes constat. Octaviae poeta hoc maximum et fere unicum Claudii meritum magnis laudibus effert v. 26 sq. et 39 sq.[1])

Claudio imperatore mortuo sperabant homines Nerone principe felicissimum exstiturum esse saeculum, cuius rei multi poetarum versus testes sunt. Memineris initii Senecae apocolocyntosis 'anno novo initio saeculi felicissimi', Calpurnii ecl. I 42:

---

1) Ceterum affinitas omnibus poetarum locis in hac re communis orta videtur esse inscriptione arcus triumphalis, quem senatus populusque Romanus Claudio exstruxit anno 52 CIL. VI 920 = Wilm. 899[a] 'Senatus · po[pulusque] Ro[manus q]uod | reges · Brit[anniai] XI [devictos sine] | ulla · iactur[a in deditionem acceperit] | gentesque b[arbaras trans Oceanum] | primus · in dici[onem populi Romani redegerit]'. Explevit titulum post alios Mommsen. Vide de eo titulo Bormannum in ephem. epigr. tom. I p. 120. Conferas titulum Cyzicenum similem CIL. VI in addendis p. 841. In inscriptione Romana scribendum esse pro 'trans Oceanum' 'ultra O.' persuasum habeo. Cf. Apocol. 12, 25 Britannos | ultra noti | litora ponti; Octav. 27 cuique Britanni | ultra Oceanum terga dedere [ordinem versuum 27 et 28 recte mutavit Buecheler, contra quem Leo edit. II p. 384 disputat]; P. L. M. IV nr. 29, 3 Oceanusque tuas ultra se respicit aras, 33, 4 extremum citra · · · Oceanum; Claudi orat. Lugdunens. I 41 · · insolentior esse videor et quaesisse iactationem gloriae prolati imperi ultra Oceanum; Iuvenal. II 159 arma quidem ultra | litora Iuvernae promovimus. — Postquam iam editae sunt schedae philologae, in quibus p. 108 haec de titulo triumphali exposui, animum adverti, quae de elocutionibus 'trans Oceanum' et 'ultra Oceanum' in archivi lexicographiae latinae tom. IV 361 disputata erant. Eosdem fere, quos ego exscripseram locos, ibi invenies. Postea quoque vidi iam apud Lehmannum (Claudius u. Nero, append. p. 43 nr. 403) 'ultra' scriptum esse.

'aurea secura cum pace renascitur aetas
et redit ad terras tandem squalore situque
alma Themis posito iuvenemque beata secuntur
saecula' eqs.

eiusdem ecl. IV 6 sq. et 84 sq., carminis Einsidlensis alterius (P. L. M. Baehrensii III p. 63) v. 23

'Saturni rediere dies Astraeaque virgo
tutaque in antiquos redierunt saecula mores'.

Aureae igitur aetati saepe comparatum esse Neronis imperium videmus. Num fortuitum esse putabimus, quod poeta Senecam proloquentem facit de misero aevi Neroniani statu, quo 'scelera regnant, saevit impietas furens, | turpi libido Venere dominatur potens, | luxuria victrix orbis immensas opes | iam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit' (v. 432), idem Seneca paulo ante Saturni saecula affert ita, ut iis tristitiam Neronianae aetatis opponat? Ad Ianum a. 66 a Nerone clusum, cuius rei memoriam nummi (Coh. I² Néron nr. 114. 115. 132—177) et poetarum versus (cf. Lucan. I 62) servant, spectat fortasse v. 752 sq. 'iugulo quod ensem condidit princeps tuus: | bella haud movebit, pace sed ferrum teget'. Consulto poeta illudere videtur spes vanas, quas homines de Neronis imperio habebant.

Ea, quae modo protuli, tantam scientiam aetatis Neroneae produnt[1]), ut mihi quidem iam vixisse poeta sub Nerone videatur, vidisse eius scelera, arsisse odio tyranni, ita tamen ut de Octaviae tristi fato tragoediam conscripturus necesse habuerit aliis scriptoribus uti. Cave autem, ne propterea, quia optime novit poeta Claudii et Neronis aetatem, fabulam tempori adscribas Neronis mortem statim secuto, ut Leo obs. p. 1 et Ladek, qui eam conclusionem necessariam esse p. 47 dicit. Nam etiam ulterius bene tenebant homines viginti et triginti annis ante facta meminerantque, quo animo recepissent Romani adulescentem Neronem. Vide quot res subtiles etiam Iuvenali alterius saeculi poetae notae fuerint. Habemus autem testimonium, quod omnem tollat dubitationem. Plinius epistula quinta libri quinti editi a. 105 Nonio Maximo mortem C. Fannii nuntiat 'hoc [i. e. ipsa mors]' inquit 'utcunque tolerabile, gravius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quamvis enim agendis causis distringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum a Nerone, et iam tres libros absolverat subtiles et diligentes et Latinos atque inter

1) Ceterum Octaviae verba v. 255 et Agrippinae v. 596 ad Iulium Vindicem referri non possunt, id quod nuper etiam Ladekium p. 6 quamvis dubitantem contendisse miror. Afferre illi poterant Taciti narrationem ann. XV 74, secundum quem inscriptionem pugionis 'Iovi vindici' Romani ad Vindicem Gallum spectare putabant. Vindicis vocabulum adamabant cum omnes illius aetatis poetae tum Seneca et Octaviae poeta. Cf. locos a Ladekio p. 6 collectos.

sermonem historiamque medios et tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur.'[1])

In dies magis mihi corroboratur sententia Domitiano imperatore confecisse poetam aliquem praetextatam. Iam olim Franciscus Ritter Domitiani temporibus tragoediam adscribere conatus est causis adductus quamvis non firmis tamen non indignis, quae omnino non respicerentur a posterioribus viris doctis. Comprobasse sibi videbatur Ritter Curiatium Maternum poetam esse fabulae idem captans, quod Vossius et Scaliger (hic enim Scaevo Memori, ille Floro tribuit tragoediam), ut certum nomen auctoris inveniret, id quod vanum est, neque ego novum Octaviae poetam in lucem protracturus sum. Recte autem de fabulae tempore iudicasse mihi videtur Ritter. Semper inest in talibus fabulis, quales praetextatae sunt, aliquid, quod ad poetae aetatem tendat. Memineris fabularum, quas paucos ante annos Ernestus de Wildenbruch de Friderico Marchiae electore primo et de Friderico Guilelmo Magno conscripsit: ad nostram pertinent aetatem. Quam ob causam non esse vanam Ritteri sententiam puto, qui declamationes Octaviae, Senecae, chori adversus tyrannum habitas ad personam certam eius temporis, quo scripsit poeta, spectare existimabat. Considerantes autem, quis ille fuerit, neque Vespasianum neque Titum nominabimus, immo unum Domitianum, qui senatum populumque Romanum servitute oppressum tenuit. Memineris odii, quod inpressum est Taciti (cf. Agr. 2), Plinii, aliorum eius aetatis libris. Memineris Domitianum Neronem alterum calvum appellatum esse (cf. Iuv. IV 38 et Auson. Caes. I 12). Legas Pliniani panegyrici paragraphos 48 et 49, in quibus miti humanoque Traiani imperio Domitiani opponitur regnum, quae immanissima belua, Pliniana sequor verba, velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lambebat nunc se ad clarissimas civium strages caedesque proferebat. Recorderis laetitiae senatus (Suet. Dom. XXIII), qui mortuum imperatorem contumeliosissimo et acerbissimo acclamationum genere laceravit. Unum corporis inscriptionum latinarum volumen evolvens totiens erasa eius nomina invenies, quotiens vix Getae et Commodi oblitterata sunt. Num autem ad Domitianum referri possit ipsa Octaviae materia, id quod Ritter praef. p. XXIX voluit, ego valde dubito. Repudiasse enim a. 83 Domitianum uxorem suam amore Iuliae Titi fratris filiae ardentem Ritter monuit, quam tamen 'quasi efflagitante populo impatiens discidii reduxit' (Suet. Dom. 3). Quanta vero ipsius rei diversitas, quantum inter se Octaviae mores casti et pudici atque Domitiae, quae de Paride pantomimo suspecta erat, discrepant; quam ob causam ego Ritteri coniecturam commovisse discidium illud Domitiani poetam ad Octaviam conscribendam vanam

1) Cf. quae nuper Fridericus Vollmer de laudationibus funebribus librisque affinibus in Fleckeiseni annal. tom. supplem. XVIII inde a p. 468 disputavit.

esse puto. Quomodo ille adductus sit, ut de infelicissima Neronis uxore tragoediam componeret, nos, qui praeter ea, quae ex ipsa fabula sumuntur, de poeta nihil scimus, dicere non possumus. Ne hoc quidem diiudicari potest, utrum a partibus optimatium an popularium fuerit poeta. Illud veri simile videtur, si totam tragoediae naturam respicimus, optimates enim ab imperatoribus in primis a Domitiano oppressi, honoribus ac potentia privati maxime oderant Caesares, populum autem praedicasse et laudasse imperium notum est; desiderabant igitur nobiles liberae rei publicae tempora, quibus 'vera priorum virtus quondam | Romana fuit verumque genus | Martis in illis sanguisque viris' (v. 291 sq.). Accedit, quod ubique in fabula stoicorum doctrinam aeque atque in Senecae tragoediis percipimus. Quae optime quadrare videntur ad poetam genere nobili ortum, quorum e numero tunc fuisse plerosque scriptores rerum scimus. Obstare autem videtur eorum virorum laus, qui optimatibus non modo sui aevi, sed etiam imperatorii invisi semper erant, Gracchos et Livium Drusum dico, quos summis laudibus effert poeta v. 882 sq.:

'flevit Gracchos miseranda parens,
perdidit ingens quos plebis amor
nimiusque favor genere illustres,
pietate, fide, lingua claros,
pectore fortes, legibus acres.
te quoque, Livi, simili leto
fortuna dedit, quem neque fasces
texere sui[1]) nec tecta domus.'

1) Miro et paene inaudito modo fasces plebis tribuno dantur. Braun p. 52 hoc quoque versu firmari putabat sententiam suam, cum scriptor melioris latinitatis tribunum fascibus ornare non posset. Wilamowitz in Leonis ed. Sen. trag. aliam ingressus viam coniectura incredibilem illam rem tollere conatus est 'sui' lectione codicum in 'suae' mutata, ita ut 'suae' cum 'domus' vocabulo coniungeret. At ne coniectura quidem ea versus recte decurrit, nam nusquam in Octaviae tot versibus anapaestis eiusmodi verborum positionem invenies, ut pronomen vel adiectivum in priore enuntiati bipertiti membro, nomen, cui adiungendum est pronomen illud vel adiectivum, in posteriore sit parte. Neque ullum argumentum suae sententiae ii possunt afferre, qui Farnabio duce (in editione Schroederiana Delphis a. 1728 impressa) 'fasces' circumscriptione 'magistratus dignitas' explicant, cui etiam Ladek p. 83 adstipulatur. Afferre illi poterant fortasse Sen. Phaedr. v. 982 'tradere turpi fasces populus gaudet'. Haec omnia nihili esse Buechelerus me monuit, immo rectissime concludendum esse putat ex eo Octaviae versu fuisse illis temporibus, quibus conscriptam esse fabulam demonstravi, tribunis plebis fasces; quamquam versus ille unicum eius rei testimonium videtur esse et quamquam Mommsen quique de tribunatu egerunt, e quibus Goellium ('d. Volkstribunat d. Kaiserzeit' Rh. M. XIII 1858 p. 111—128) nomino, contrariam pronuntiant sententiam. Neque abhorret id a veri similitate, quoniam inde ab imperatorum aetate plebis tribunatus in ordinem magistratuum Romanorum receptus est. Cf. exempli gratia, quae Herzog roem. Staatsverfassung II 2 p. 849 de tribunatu aetatis imperatoriae exposuit.

Apud nullum neque poetam neque scriptorem pedestrem eiusmodi iudicium inveni. Vide vel hominum alienorum a partibus optimatium iudicia de tribunis illis, Valerii Maximi, Flori II 2 (III 14). Lucanus autem una cum Catilina eos Ditis carcere dignos censet (VI 793). Gracchorum genus, formam, eloquentiam etiam adversarii admirantur et laudant, tamen nemo eo usque progressus est, ut 'pietate et fide claros, legibus acres' nominaret. Neque eiusmodi quidquam sumere poeta poterat e Senecae consolationis ad Marciam (dial. VI) capite 16, quod fortasse ante oculos habuit (cf. Braunium p. 52, Ladekium p. 73): '[Cornelia] Tiberium Gracchum et Gaium Gracchum, quos etiam, qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, et occisos vidit et insepultos. .... Cornelia Livii Drusi clarissimum iuvenem illustris ingenii, vadentem per Gracchana vestigia, imperfectis tot rogationibus intra penates interemptum suos, omiserat incerto caedis auctore.'

Quo modo explicanda sit discrepantia illa, nescio.[1]) Quare de ipso poeta iudicium retineo, de tempore hoc demonstrasse mihi videor primis Domitiani annis conscriptam esse Octaviam.[2])

1) Cf., quae p. 32 de hoc loco exposui.

2) Neque ea, quae nuperrime scripsit Carolus Hosius in Fleckeiseni annalium tomo recentissimo (1892) p. 355 sq., cuius disputationis plagulas comiter petenti mihi misit, persuadere mihi poterant falsam esse meam aetatis fabulae determinationem. Observasse enim sibi videtur Hosius praetextatae poetam priores tantum Lucani libros nosse, Valerii autem Flacci iam primum librum universo Lucani carmine uti. Conclusit non multo post annum 70 conscriptam esse fabulam. Quae quoniam cum eis, quae ego de Octaviae tempore invenisse mihi videbar, coniungenda non videbantur esse, perlegi Lucani libros VIII, IX, X. Concedo neque tot neque tantas similitudines Octaviae cum libris illis esse, quot in primis in libris I, II, III insunt, tamen hos enotavi locos, quos Hosii dictum refellere posse puto: Luc. VIII 575 'sed cedit fatis': Oct. 253 'sed cede fatis', cf. tamen Sen. Oed. 980 'fatis agimur, cedite fatis', Luc. X 22 'spargenda per orbem | membra': Oct. 507 'iuvenes, senes | sparsos per orbem', Luc. X 392 'et mittet ad umbras': Oct. 958 'me quoque tristes mittet [sic codd., unus H 'mittit', quem Leo sequitur] ad umbras', Luc. X 405 'iussuque satellitis irent' et ib. 468 'missusque satelles': Oct. 366 'missus peragit iussa satelles'. Octaviae v. 13 'si quis remanet sensus in umbris' aut ad Luc. III 39 'Aut nihil est sensus animis a morte relictum | aut mors ipsa nihil' aut ad eiusdem VIII 749 'si quid sensus post fata relictum est' redit. Hoc ego malim. Cf. de hoc loco Hosium p. 355 et 341.

Addenda.

p. 21 lin. 32 adde: Cf. Cass. Dion. LXI 15. 1 post matricidium ἐψηφίζοντο [οἱ βουλευταὶ] πολλά, οἷς ᾤοντο αὐτῷ [Νέρωνι] χαριεῖσθαι.

p. 28 lin. 4 adde: Alfredus Pais cum de dissertatiuncula in schedis edita in ephemeride 'la Cultura' (nr. 6 Febr. 7, 1892) iudicium faceret, similitudines illas inter Iosephum et fabulam 'caratteristiche e notevoli assai' esse non negans addidit tamen 'che le simiglianze . . . dovrebbero essere più numerose'. Sane ipse vehementissime opto, ut plures retegantur inter fabulam et Iosephum rationes, vereor tamen, ne frustra quaeritaturi simus, nam raro omnino res Romanas, rarissime res easdem Iosephus narrat, quas Octaviae poeta. Hoc loco liceat mihi gratias dicere quam maximas Alfredo Pais, quem una cum Ludovico Tachau optime de me meritum esse pio gratoque confiteor animo; nam non solum variis uterque me modis adiuvit, verum etiam eximia cum liberalitate mea gratia a proposito suo Octaviae fabulae tractandae uterque abiit.

p. 33 lin. 14 adde: Titulus Wilm. 2481 inest in CIL. tomo VI 638. Eiusdem est CIL. VI 639.

Ea, quae secuntur, ut adderem libello meo, commovit me liber, quem paucas demum ante hebdomades inspicere potui: Beurlier, Essai sur le culte rendu aux empereurs romains. Thèse pour le doctorat prés. à la fac. d. l. de Paris 1890.

p. 47 lin. 11 adde: Re vera Claudi consecrationis destitutio unicum eius generis facti exemplum esset, namque ea exempla, quae Beurlier p. 74 affert, divus Titus a Domitiano, divus Geta a Caracalla honore caeli privati, contrarium demonstrant. Oderat enim uterque fratrem acerbissime et, si potuisset, sine dubio et Domitianus et Geta fratrem de caelo deiecisset. Nihil autem fere nisi diei natalis divi Titi et divi Getae celebrationem uterque vetare potuit (Dio LXVII 2, 6 et LXXVII 12, 6). Titi tamen natalem postea restitutum esse Philocali docet index. Eripuisse autem dicitur idem Caracalla divae Faustinae templum et divale nomen (Spartian. vit. Carac. 11), de quo loco recte iudicasse puto Mommsenum (roem. Staatsrecht II^1 p. 781 n. 1) 'die Notiz . . . ueber die Aufhebung der Verehrung der Faustina ist wenig zuverlaessig'.

p. 47 lin. 16 adde: Causae, quibus adductus Beurlier p. 85 anno demum 63 Augustalium sodalitati nomen Claudialium additum esse, infirmae sunt neque Dessaui (Eph. epigr. III p. 211) sententiam infringere possunt.

p. 48 adn. 1 adde sevirum Claudialium hos titulos (apud Beurlierum p. 222): CIL. V 3430 (Veronae), V 3433 = Wilm. 2159 (ibid.), V 4008 = Wilm. 2160 (ibid.), XI 696 (Bononiae), XI 714 (ibid.), XI 718 (ibid.), Claudialium titulos CIL. XI 959 (Regii Lepidi) et XI 971 (ibid.). — In primis regiones Italiae septentrionales et medias cum ceteros imperatores tum divum Claudium coluisse inscriptiones

docent. In Gallia cisalpina flamines divi Claudi sunt Aquileiae (CIL. V 875), Tergeste (CIL. V 534), Bergomi (CIL. V 5126), Ticini (CIL. V 6431 flam. Romae et divi Claudi), sexviri Claudiales Veronae (CIL. V 3430, 3433, 4008 [Claudialis et Augustalis]) et Bononiae (CIL. XI 714, 718), sexvir et Claudialis ibidem (CIL. XI 696), Claudiales Regii Lepidi (CIL. XI 959, 971), Augustalis Claudialis Cherii (CIL. V 7493), in Samnio Augustales Claudiales Beneventi (CIL. IX 1648, 1689, 1698, 1701, 1705), flamen Claudialis Aeclani (CIL. IX 1123), in Latio flamen Claudialis Velitris (CIL. X 6566), in Umbria flamen divi Claudi Arimini (CIL. XI 417). Praeterea flamines divi Claudi reperies in Macedonia Philippis (CIL. III 650) et Tarracone Hispanorum (CIL. II 4217), sodales Claudianos ibidem (CIL. II 3114), neocorum Claudi vivi Aezanis in Phrygia Epict. Beurlier p. 254 commemorat (Waddington, inscript. As. min. 858 . . . . [καὶ νεώκόρος τοῦ Διὸς δι]ὰ βίου καὶ Τιβερίου Κλαυδίου Καίσαρος Σεβαστοῦ Γερμανι|[κοῦ τοῦ αὐτοκράτορος θεοῦ ἐπιφαν]οῦς eqs.).

p. 50 lin. 4 ab inf. adde: Cf. tamen Lamprid. vit. Sever. 29 'Vergilium autem Platonem poetarum vocabat eiusque imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, ubi et Achillis et magnorum virorum. Alexandrum vero magnum inter divos et optimos in larario maiore consecravit' (Beurlier p. 76).

p. 51 lin. 16 adde: de hoc templo v. Gilbert, Topographie von Rom III p. 133 et Beurlier p. 342 sq.

p. 55 lin. 25 Erravi; divum praeter Gaium I 62 et Ulpianum III 6 Claudium etiam nominant Callistratus *Dig. XLVIII 10. 15, Modestinus *Dig. XL 8. 2. Vide praeterea Inst. III 3 § 1 et *Cod. Iust. VII tit. VI 1 § 3. Locos asterisco notatos inveni apud Heumann-Hesse, Handlexikon zu d. Quellen d. roem. Rechts[4] 1869 s. v. 'edictum'. Non recte iidem s. v. 'Claudius' Cod. Iust. II tit. XIII (XIV) 1 ad Claudium I retulerunt, pertinet titulus ille ad Claudium Gothicum. Ceterum Ulpianus divi appellationem Claudio negat *Dig. XVI 1. 2 'Ulpianus libro XXIX ad edictum: Et primo quidem temporibus divi Augusti, mox deinde Claudii edictis eorum erat interdictum, ne feminae pro viris suis intercederent', addit autem Dig. IV 4. 3 § 4 'Ulpianus libro XI ad edictum: — — — nam peculium eius ex constitutione divi Claudii separatur'.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Pomp. Mela III 49 p. 74 P. non ad Caligulae, sed Claudi triumphum Britannicum spectat.

II. Perperam Ricardus Jahnke in editione comoediarum trium medii aevi 'de nuntio sagaci', 'de tribus puellis', 'de tribus sociis' eiusmodi comoedias Horatianas appellavit.

III. CIL VI 10229 (testamentum Dasumi) v. 24 ...]VSTIO·ACANTHO·FABIO·RVSTICO[..... ad Fabium Rusticum rerum scriptorem non pertinet.

IV. Glossa codicis Sangallensis 912 (Goetz, corp. gloss. tom. IV p. 280 n. 45) 'ruma mamma ał pugna' ex duabus glossis 'ruma mamma' et 'runa pugna' coaluit.

V. Cic. leg. III 5. 12 'Quae res (magistratuum compositio) cum sapientissime moderatissimeque constituta esset ... nihil habui sane non multum, quod putarem novandum in legibus'. Vahlen 'nihil habui sane, non multum', coniecit idem 'non paulum', Madvig 'aut non multum'. Scribamus 'nihil habui, sane non multum', etsi addidit Vahlen 'prave *sane* aut mutatur aut a *nihil* seiungitur'.

VI. Cic. leg. III 10. 24 scribo 'sed tu sapientiam maiorum in illo vide: concessa plebei est a patribus ista potestas, arma ceciderunt' eqs.

A: concessa plebe ista patribus ista potestas.

VITA.

Natus sum Gustavus Bernardus Otto Nordmeyer die XXX mensis Septembris a. h. s. LXVIII Halis Guestphalorum patre Henrico, qui rectoris scholae et pastoris munere ibi fungebatur, matre Carolina e gente Lampe, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in vico Dahle prope Altenam Guestphalorum sito instructus sum ab amita et patre, postea etiam a ludimagistris publicis. Anno LXXX parentes Moersam Rhenanorum transmigraverunt. Inde ab autumno eius anni usque ad annum LXXXVIII gymnasii Adolfini discipulus fui, quod tunc Ioanne Zahn directore, Ernesto Fischer professore floruit et nunc floret. Maturitatis testimonium vere anni LXXXVIII adeptum alma mater Basiliensis inter cives academicos me recepit, cuius postquam per sex menses civis fui, in patriam redii, ut in Musarum sede Rhenana studiis operam darem, cuius academiae Bonnensis usque ad hoc tempus civis fui.

Docuerunt me viri doctissimi Iacobus Burckhardt, Hagenbach, Heman, Maehly, Merian, Misteli, de Orelli, Volkelt, Iacobus Wackernagel Basilienses, Bender, Buecheler, Dove, Elter, Iacobi, Kamphausen, Renardus Kekulé, Lemme, † Luebbert, Martius, Neuhaeuser, Nissen, Sell, Vsener, Witte Bonnenses. Maehlyi et Wackernagelii benevolentia factum est, ut in seminarium philologum Basiliense, Buecheleri, Luebberti, Vseneri, ut in seminarium Bonnense reciperer, cuius per bis senos menses sodalis extraordinarius, per tria semenstria ordinarius fui. Seminariis theologis ut interessem benigne Kamphausen et Lemme concesserunt. Exercitationibus archaeologis me admisit R. Kekulé, epigraphicis et philologis Buecheler, philosophis Elter, Martius, Witte. In numero amanuensium regiae bibliothecae per sexies senos menses Schaarschmidtii comitate fui. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, praecipuas vero Buechelero et Vsenero, qui qua sunt humanitate semper me adiuverunt.

Nec non ago gratias sodalicio philologo, quod vocatur 'Klassisch-philologischer Verein', cuius sodalis fui inde ab initio studiorum meorum Bonnensium.